ANTONII WESTERMANNI

QUAESTIONUM

DEMOSTHENICARUM

LIBER PRIMUS.

Continet

I. Quaest. de orationum Olynthiacarum Demosthenis ordine.
II. Quaest. de epitaphio atque erotico Demosthenis.
III. Quaest. de litibus quas Demosthenes oravit ipse.
IV. Quaest. de fontibus historiae Demosthenis.

LIPSIAE, MDCCCXXXVII.
SUMPTIBUS JO. AMBR. BARTH.

DE FONTIBUS

HISTORIAE

DEMOSTHENIS.

SCRIPSIT

ANTONIUS WESTERMANN

IN ACAD. LIPS. PROF. ORD.

ACCEDUNT

PRAETER INDICES

EPIMETRA DUO, QUORUM I. CONTINET VARIETATEM LECTIONIS IN ZOSIMI ET ANONYMI VITT. DEMOSTH. EX COD. REHDIGER. EXCERPTAM, II. ADNOTATIONES IN PLUTARCHI VITAS DECEM ORATORUM.

LIPSIAE, MDCCCXXXVII.

SUMPTIBUS JO. AMBR. BARTH.

VIRO CLARISSIMO

CAR. FERD. RANKIO

DR. PHIL. GYMNAS. QUITILINGOBURG. DIRECT.

AMICO SUAVISSIMO

HOC OPUSCULUM SACRUM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

C. F. RANKIO

S. P. D.

ANTONIUS WESTERMANN.

Quam sit arduum ac tot de ea re scriptis veterum deperditis difficile de fontibus historiae Demosthenis recte disputare, non est quod Tibi, vir amicissime, qui ipse hoc in argumento egregie versatus es, exponam. Quare hoc loco de eo tantum dicam quod quarto hac quaestionum Demosthenicarum parte praestare voluerim, quid ex omni disputatione redundet explicabo ac totius quaestionis extrema quasi ducam lineamenta. Demosthenem in eis esse quorum historia fabulis atque erroribus vel maxime affecta ad nos pervenerit, quivis scit in hoc genere litterarum aliquantum exercitatus. Qui errores nisi fontibus e quibus prodierunt cognitis non possunt indagari atque removeri. Ego vero errorum in historiam Demosthenis illatorum tres potissimum fontes cognovisse mihi videor.

Atque eorum primus quidem studium fuit atque invidia aequalium. Quippe temporibus illis turbulentissimis unus quisque alterutri parti se adiunxit, solitarius separatusque a communi malo civitatis secessit nemo. Verum cum non armis manibusque, sed lingua atque verbis tum inter cives pugnaretur, fieri non potuit quin ad viros summos aut calumniandos vituperandosque aut celebrandos defendendosque multa facete aut inhoneste dicta factave invenirentur atque divulgarentur, quae hominum postea viventium credulitas et religio ab oblivione vindicavit. Idque Demostheni prae aliis contigisse non mirabitur qui reputet, quantum ille in omnibus rebus, sola excepta bellica virtute, aequalibus suis omnibus praestiterit: summus in republica locus, patriam conservandi inconcussa voluntas, animi ac morum probitas intemerata, eloquentiae vis insuperabilis, omnia tam praeclara, ut, qui ab altera parte starent, homines plerumque sui quam patriae amantiores, quanquam non tam abiecti sive stulti ut videri pro patria propugnare nollent, peropportunam haberent calumniandi, mentiendi, conviciandi occasionem ac largissimam materiem. In quibus, quoniam reli-

quorum nullis scriptis memoria conservata est, primum locum tenet Aeschines, alterum is cui Dinarchus orationem adversus Demosthenem composuit. Verum non abest suspicio, amicos quoque atque asseclas Demosthenis ad eum ab invidia odioque defendendum quaedam praeter veritatem invenisse sive exaggeravisse; quanquam hoc ad suspicandum quam ad demonstrandum est facilius. Oratoribus accedunt historiae scriptores qui quidem eodem tempore vixerunt. Hos quoque a partium studio minime liberos fuisse, sed prout aut Atheniensibus aut suae patriae atque sibimet ipsis faverent, ita Demosthenis virtutes aut detrectavisse aut extulisse certum est. At cum ex horum omnium scriptis paucissima tantum nobis fragmenta supersint, quae unius cuiusque fuerit sententia, qui color atque habitus aegre cognoscas, immo in tanto numero historicorum illius temporis tres tantum sunt de quibus iudicium ferre audeas, Theopompum dico atque Duridem Samium, qui Athenienses summo odio persequuti sunt, tum Democharem, quem cum imperii popularis tum eius defensoris atque servatoris suique avunculi, Demosthenis, laudes cecinisse verisimile est.

Sed horum quoque in fragmentis pauca sunt, quae ad Demosthenem pertinent, eaque longius persequi vix operae pretium haberemus, nisi suspicio esset, alia quoque hinc a posterioris aevi historiarum vitarumque scriptoribus omissis auctorum nominibus deprompta esse.

Atque hos ipsos qui post vixerunt historiarum vitarumque scriptores ex illo numero eximendos, in eisque errorum in historiam Demosthenis illatorum fontem alterum quaerendum esse censeo. Scilicet historiae continuae scriptores, qui non ipsi rebus quas descripserunt interfuerant, partim etiam ab istis temporibus remotiores, quamvis non sine ira atque studio omnes scripsisse putandi sint, tamen ab eo quo aequales Demosthenis flagraverant partium studio liberi erant; simul coacti res suas ex eis qui ante idem argumentum tractaverant haurire, licet suum interdum iudicium interposuerint atque ad suam sentiendi rationem res gestas accommodaverint, tamen si quem errorem commiserunt, non eius primi, sed secundi auctores habendi sunt. Tales ad indagandos errores patet ad eos redeundum esse, quos illi potissimum in historia scribenda sequuti sunt. Sed

huius quoque errorum generis difficillima indagatio est. Non semper enim historiae scriptores quos sequuntur nominant. Libris autem aetatis Demosthenicae historicorum omnibus deperditis, quos sequuti illi sint plerumque dici plane nequit, raro, ut in Trogo Pompeio sive potius eius epitomatore Iustino, ex toto iudicii colore coniectura fieri, nonnunquam, ut in Diodoro Siculo, magis ex quo fonte non hauserit quam ex quibus revera hauserit dici potest. Eadem fere ratio est plurimorum inprimis inferioris aetatis vitarum scriptorum, quibus item vitam Demosthenicam tantum modo tanquam secundis auctoribus ex eis quae prioris aevi scriptores memoriae tradidissent componere licuit. Hos omnes, sicubi a veritate aberrarunt, nolim quidem ab omni culpa liberari — nonnunquam enim tam turpiter lapsi sunt, ut vel nos ab istis temporibus remotissimi errorem facili negotio corrigere possimus — sed aliquid tamen excusationis ex eo habent, quod liberi a fallendi voluntate ab aliis iisque plerumque locupletissimis testibus falsi ipsi sunt; itaque in crimen tantum credulitatis veniunt, quod bona fide quae ab aliis tradita accepissent repetierunt. Paullo ali-

ter statuendum esse videtur de vitarum scriptoribus, quorum copiam scholae philosophorum, inprimis peripateticorum, effuderunt. Hi enim studium rerum caussas perquirendi atque artificiose connectendi in genus illud historiae primum transferebant, suo modo quod obscurum esset explicabant, sibi praeclara omnia arrogabant. Quanquam enim huius quoque generis scripta omnia interierunt, ita ut quousque audaciae processerint ostendi nequeat, levia tamen quaedam vestigia supersunt ex quibus studium illud grassatum esse colligas, quo, nisi fallor, pertinet quod de studiis Demosthenis Platonicis atque Aristotelicis memoriae traditur. Hos igitur errorum in historiam Demosthenis illatorum participes iure dixeris.

Tertium errorum illorum fontem verbo tetigisse satis est, alucinationes dico rhetorum qui ex historia Demosthenis certatim exempla declamandique argumenta eligebant. Quod genus ineptiarum quam late patuerit, ex multis quae etiamnunc extant infimae aetatis monumentis facile cognoscitur. Quod tamen parum inde damni historia Demosthenica contraxerit, eo videtur esse factum, quod iam pridem multorum studio

atque opera haud vulgari haec res ad veritatem accommodate tractata erat nec multa nova et a veritate prorsus aliena in eam inferri insinuarique potuerunt. Sed ut quod sentio eloquar, quaedam tamen nova et inaudita, aliorum exaggeratio oratoriaque exornatio rhetoribus deberi videtur; certe ad confirmandas propagandasque cuiusvis generis fabulas permultum contulerunt.

Iam vides, vir amicissime, quam multis quamque magnam partem inextricabilibus dubitationibus haec res obnoxia sit. Has omnes hoc in libro extricare atque removere nec potui nec volui. Scilicet errores isti omnes sic sunt comparati, ut, si eos ex fontibus suis repetere atque emendare vellemus, unus quisque longa expositione indigeret, quin immo vita nobis ipsius oratoris conscribenda esset. Verum mihi propositum fuit non tam errores ipsos in historiam Demosthenis illatos illustrare, quam fontes potius indagare, quibus cognitis demum futurus vitae Demosthenicae scriptor virum summum ab istis erroribus aliquatenus liberatum atque integrum repraesentare posset. Itaque sic institui, ut qui de Demosthene scripserunt, omissis eis

C. F. RANKIO

S. P. D.

ANTONIUS WESTERMANN.

Quam sit arduum ac tot de ea re scriptis veterum deperditis difficile de fontibus historiae Demosthenis recte disputare, non est quod Tibi, vir amicissime, qui ipse hoc in argumento egregie versatus es, exponam. Quare hoc loco de eo tantum dicam quod quarto hac quaestionum Demosthenicarum parte praestare voluerim, quid ex omni disputatione redundet explicabo ac totius quaestionis extrema quasi ducam lineamenta. Demosthenem in eis esse quorum historia fabulis atque erroribus vel maxime affecta ad nos pervenerit, quivis scit in hoc genere litterarum aliquantum exercitatus. Qui errores nisi fontibus e quibus prodierunt cognitis non possunt indagari atque removeri. Ego vero errorum in historiam Demosthenis illatorum tres potissimum fontes cognovisse mihi videor.

Atque eorum primus quidem studium fuit atque invidia aequalium. Quippe temporibus illis turbulentissimis unus quisque alterutri parti se adiunxit, solitarius separatusque a communi malo civitatis secessit nemo. Verum cum non armis manibusque, sed lingua atque verbis tum inter cives pugnaretur, fieri non potuit quin ad viros summos aut calumniandos vituperandosque aut celebrandos defendendosque multa facete aut inhoneste dicta factave invenirentur atque divulgarentur, quae hominum postea viventium credulitas et religio ab oblivione vindicavit. Idque Demostheni prae aliis contigisse non mirabitur qui reputet, quantum ille in omnibus rebus, sola excepta bellica virtute, aequalibus suis omnibus praestiterit: summus in republica locus, patriam conservandi inconcussa voluntas, animi ac morum probitas intemerata, eloquentiae vis insuperabilis, omnia tam praeclara, ut, qui ab altera parte starent, homines plerumque sui quam patriae amantiores, quanquam non tam abiecti sive stulti ut videri pro patria propugnare nollent, peropportunam haberent calumniandi, mentiendi, conviciandi occasionem ac largissimam materiem. In quibus, quoniam reli-

quorum nullis scriptis memoria conservata est, primum locum tenet Aeschines, alterum is cui Dinarchus orationem adversus Demosthenem composuit. Verum non abest suspicio, amicos quoque atque asseclas Demosthenis ad eum ab invidia odioque defendendum quaedam praeter veritatem invenisse sive exaggeravisse; quanquam hoc ad suspicandum quam ad demonstrandum est facilius. Oratoribus accedunt historiae scriptores qui quidem eodem tempore vixerunt. Hos quoque a partium studio minime liberos fuisse, sed prout aut Atheniensibus aut suae patriae atque sibimet ipsis faverent, ita Demosthenis virtutes aut detrectavisse aut extulisse certum est. At cum ex horum omnium scriptis paucissima tantum nobis fragmenta supersint, quae unius cuiusque fuerit sententia, qui color atque habitus aegre cognoscas, immo in tanto numero historicorum illius temporis tres tantum sunt de quibus iudicium ferre audeas, Theopompum dico atque Durideim Samium, qui Athenienses summo odio persequuti sunt, tum Democharem, quem cum imperii popularis tum eius defensoris atque servatoris suique avunculi, Demosthenis, laudes cecinisse verisimile est.

Sed horum quoque in fragmentis pauca sunt, quae ad Demosthenem pertinent, eaque longius persequi vix operae pretium haberemus, nisi suspicio esset, alia quoque hinc a posterioris aevi historiarum vitarumque scriptoribus omissis auctorum nominibus deprompta esse.

Atque hos ipsos qui post vixerunt historiarum vitarumque scriptores ex illo numero eximendos, in eisque errorum in historiam Demosthenis illatorum fontem alterum quaerendum esse censeo. Scilicet historiae continuae scriptores, qui non ipsi rebus quas descripserunt interfuerant, partim etiam ab istis temporibus remotiores, quamvis non sine ira atque studio omnes scripsisse putandi sint, tamen ab eo quo aequales Demosthenis flagraverant partium studio liberi erant; simul coacti res suas ex eis qui ante idem argumentum tractaverant haurire, licet suum interdum iudicium interposuerint atque ad suam sentiendi rationem res gestas accommodaverint, tamen si quem errorem commiserunt, non eius primi, sed secundi auctores habendi sunt. Tales ad indagandos errores patet ad eos redeundum esse, quos illi potissimum in historia scribenda sequuti sunt. Sed

huius quoque errorum generis difficillima indagatio est. Non semper enim historiae scriptores quos sequuntur nominant. Libris autem aetatis Demosthenicae historicorum omnibus deperditis, quos sequuti illi sint plerumque dici plane nequit, raro, ut in Trogo Pompeio sive potius eius epitomatore Iustino, ex toto iudicii colore coniectura fieri, nonnunquam, ut in Diodoro Siculo, magis ex quo fonte non hauserit quam ex quibus revera hauserit dici potest. Eadem fere ratio est plurimorum inprimis inferioris aetatis vitarum scriptorum, quibus item vitam Demosthenicam tantum modo tanquam secundis auctoribus ex eis quae prioris aevi scriptores memoriae tradidissent componere licuit. Hos omnes, sicubi a veritate aberrarunt, nolim quidem ab omni culpa liberari — nonnunquam enim tam turpiter lapsi sunt, ut vel nos ab istis temporibus remotissimi errorem facili negotio corrigere possimus — sed aliquid tamen excusationis ex eo habent, quod liberi a fallendi voluntate ab aliis iisque plerumque locupletissimis testibus falsi ipsi sunt; itaque in crimen tantum credulitatis veniunt, quod bona fide quae ab aliis tradita accepissent repetierunt. Paullo ali-

qui bis terve tantum occasione data et in transcursu quasi eius mentionem iniecerunt, velut Polybius, Pausanias, Arrianus, alii, ex ordine enumerarem, de eorum fontibus, fide, auctoritate disputarem deque eorum scriptis atque temporibus, si quid aut parum cognitum aut obscurum esset, quaedam commentarer. Quae si cui in singulis magis ac solitariis rebus versari, quam totum atque solidum corpus efficere videantur, hoc non mihi culpae vertat, sed rei ipsi quae aliam tractationem respuit imputet. Itaque hoc tanquam complementum est eorum quae et Tu in Encycl. litter. t. VI. p. 52 sqq. proposuisti et A. G. Beckerus noster in Litterat. Demosth. p. 1 sqq. disputavit. Simul hac usus sum occasione quaestionem de auctore vitarum decem oratorum iterum et accuratius pertractandi eaque refutandi quae ad meam sententiam refutandam a viro quodam docto in medium prolata sunt. Id quod me non repugnandi, sed veritatis eruendae caussa fecisse non Tua, qui me totum nosti, sed reliquorum caussa assevero, eoque impensius hoc a me studium veritatis efflagitavit, quo procliviores esse solent homines ad assentiendum superbe vituperantibus. Tum

subieci adnotationes et emendationes quasdam in easdem vitas, cum aliorum, inprimis Corais, cuius vitarum Isocratis atque Lycurgi editionibus uti mihi olim non licuit, atque H. Sauppii, V. Cl., qui in vita Lycurgea emendanda egregie versatus ac totius libri editionem pollicitus est, tum meas, quales inter relegendum raptim adnotaram, quasque, cum iterum librum illum edendi occasio mihi non exspectanda esset, futuro fortasse editori profuturas non erat quod supprimerem. Denique indices addidi, non quo has quaestiones pro absolutis haberi vellem, sed ut esset quod in tanta rerum varietate prius quam in nimium opus excresceret lectores quodam modo sublevaret. Praeterea morem gessi redemptori honestissimo, qui has quattuor particulas, ne oculos empturientium praeterirent, in unum coniungendas et tanquam librum primum, cui alter suo tempore esset accessurus, denuo emittendas esse voluit.

Tibi vero, vir carissime, ut hoc opusculum sacrum esse vellem effecit et immortale Tuum de oratore nostro meritum et singularis Tuus erga me amor, quo iam diu est ex quo quae nobis tristia acciderunt una pertulimus, quae

laeta faustaque una concelebravimus. Quam autem simul sim ingrati animi, ipse senties, cum quoties hac in scriptione tecum dissenserim intellexeris. Itaque irascere, perferam, donec

amantium irae amoris integratio est.

Scribebam Lipsiae d. 14. m. Sept. MDCCCXXXVI.

Fontes, ex quibus haurienda est vita Demosthenis, in universum late patent. Primum locum tenent ipsius eorumque oratorum, qui eodem tempore vixerunt et cum eo aliquamdiu conflixerunt, imprimis Aeschinis et Dinarchi orationes. Quorum licet gravissima sint testimonia, eos tamen hic verbo indicasse satis esto, quoniam quid de iis tenendum esse videretur iam aliqua ex parte exposuimus in harum quaestionum parte tertia [1]). Propius ad nostram rem accedunt decreta senatus atque populi quae leguntur in Demosthenis oratione de corona et apud Plutarchum sub finem vitarum decem oratorum. Et horum quidem tanta nobis esset gravitas et auctoritas, ut adeo oratorum auctoritatem facile superaret, nisi obstaret ipsorum et paucitas et corruptio. Scilicet non ipsum haec Demosthenem, verum librarium potius ex actis publicis quidem sive potius inscriptionum collectionibus deprompta, sed in temporum notationibus magnam partem per errorem singularem corrupta in orationem de corona intulisse acute demonstravit *Boeckhius* [2]). Iam ille in media oratione incepto destitit laboris molestiam pertaesus sive alia quapiam caussa impeditus. Nihilo minus haud pauca supersunt in prima parte orationis gravissima,

1) Adde Ranke in Encycl. litt. s. v. Demosthenes t. VI. p. 52. sq. Multa feliciter enucleat Winiewski in comment. hist. ad Demosth. or. d. cor.

2) Comm. de archontibus qui vulgo vocantur pseudeponymi, in Seebod. bibl. crit. 1828. n. 79. Cf. Corp. Inscr. t. I. praef. p. VIII. sq. Winiewski comment. p. 291. sqq. et Ranke l. l. p. 53. sq.

quibus multa quae ad historiam Demosthenis pertinent egregie illustrantur atque stabiliuntur, uti p. 235. decretum de legatis ad impetrandum a Philippo iusiurandum protinus emittendis, p. 243. libellus Aeschinis, p. 253. et 266. decreta in honorem Demosthenis, p. 261. de lege eiusdem trierarchica, p. 272. et 273. testimonia in caussa Aeschinis et Anaxini, p. 288 sqq. praeclarissimum Demosthenis decretum de foedere cum Thebanis faciendo Philippoque, coniunctis viribus fortiter propulsando. Nec omittendum indidem desumptum decretum praestantissimum Democharis in honorem avunculi defuncti apud Plut. vitt. dec. oratt. p. 850. sq., quod summi viri de republica merita in unum quasi corpus composita complectitur, ac licet ab eius assecla et admiratore compositum, nihil tamen continet quod praeter veritatem dictum esse videatur. Ipsos etiam rerum scriptores minime fugit, quantum acta publica ad historiam conferrent confirmandam; itaque populi senatusque consulta iam a Theopompo [3]), Diyllo [4]), aliis, post collectis iam undecunque et in corpora redactis inscriptionibus inprimis a Plutarcho [5]) adhibita videmus.

Iamiam ad hos ipsos rerum scriptores transeundum est. Ac primum perlustremus eos qui non singulari libello vitam oratoris conscripserunt, sed aut Atticae aut universae Graeciae historiam contexuerunt in eaque facere non potuerunt quin saepe numero in eius mentionem inciderent, cuius ope atque studio civitas Atheniensium per aliquot annos administrata, firmata, conservata est; immo si reputes, eum totum in republica regenda fuisse, ipsos quoque historiarum scriptores vix dubitabis eis adnumerare qui vitam eius conscripserunt, id quod eo maioris est momenti quo maior horum esse

3) Harpocr. s. v. Ἀττικοῖς γράμμασιν.

4) Plutarch. d. maligh. Herod. c. 26.

5) Vitt. Aristid. c. 26. Cimon. c. 13. Pericl. c. 35. Vitt. dec. oratt. p. 833. D. (coll. Harp. s. v. Ἄνδρων) p. 847. E.

solet cognitio historiae quoque magis Demosthenes non ex privata vita sed ex historia ipsa iudicandus est. Sed statim a principio fateamur oportet iniquum fatum tam vehementer in scriptores aetatis Macedonicae grassatum esse, ut ex paucis quae supersunt ex immensa copia librorum reliquiis vix quicquam ad historiam Demosthenis illustrandam commodi redundet. Hoc si spectamus radicitus perierunt scripta **Ephori** Cumaei 6) eiusque filii **Demophili** 7), **Anaximenis** Lampsaceni 8), **Callisthenis** Olynthii 9), **Diylli** Atheniensis 10), aliorum, nisi si quaedam ex eis, non nomina-

---

6) Suid. *Ἔφορος – ἔγραψεν ἀπὸ τῆς Ἰλίου πορθήσεως καὶ τῶν Τρωικῶν μέχρι τῶν αὑτοῦ χρόνων βιβλία λ'.* Accuratius Diod. Sic. XVI. 76. *Ἔφορος τὴν ἱστορίαν ἐνθάδε κατέστροφεν εἰς τὴν Περίνθου πολιορκίαν* (Ol. CX, 1.), *περιείληφε δὲ τῇ γραφῇ πράξεις τάς τε τῶν Ἑλλήνων καὶ βαρβάρων ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς τῶν Ἡρακλειδῶν καθόδου· χρόνον δὲ περιέλαβε σχεδὸν ἐτῶν ἑπτακοσίων καὶ πεντήκοντα, καὶ βίβλους γέγραφε τριάκοντα, προοίμιον ἑκάστῃ προθείς.* Cf. G. J. Voss. d. hist. graec. I. 7. p. 35. sq. Heyne in comm. soc. Gott. t. VII. VIII. M. Marx Ephori fragm. Carolir. 1815.

7) Diod. Sic. XVI. 14. *τῶν δὲ συγγραφέων Δημόφιλος μὲν ὁ Ἐφόρου τοῦ ἱστοριογράφου υἱὸς τὸν παραλειφθέντα πόλεμον ὑπὸ τοῦ πατρὸς, ὀνομασθέντα δὲ ἱερὸν συντεταγμένος ἐντεῦθεν ἦρκται ἀπὸ τῆς καταλήψεως τοῦ μαντείου ὑπὸ Φιλομήλου τοῦ Φωκέως.*

8) Eius *Φιλιππικά* sive *τὰ περὶ Φίλιππον*, quorum ex libro VIII. fragmentum extat apud Harp. s. v. *Καβύλη*, continebant historiam inde ab Ol. CIV, 3. — CXI, 1. Nam eiusdem *πρῶται ἱστορίαι* sive *πρώτη τῶν Ἑλληνικῶν* finiebat secundum Diod. Sic. XV. 89. pugna Mantineensi. Ad Philippica accesserunt *τὰ περὶ Ἀλέξανδρον* (cf. Harp. s. v. *Ἀλκίμαχος*), ita ut universam Graeciae historiam his tribus partibus absolvisse videatur. Cf. Voss. d. hist. gr. I. 10. p. 57. sq.

9) Scripsit *Ἑλληνικά* libb. X, i. e. historiam Graecorum inde a pace Antalcidica usque ad templi Delphici compilationem Ol. XCVIII, 2 — CV, 4. (Diod. Sic. XIV. 117. XVI. 14.), librum *περὶ τοῦ ἱεροῦ πολέμου* (Athen. XIII. p. 560. C.), alium de rebus Alexandri (Plut. vit. Alex. c. 27. 33.), cuius titulum Voss. d. hist. gr. p. 41. nescio quo iure *Μακεδονικά* laudat; fortasse ibi res Philippi cum rebus filii coniunctae erant. Cf. Sevin sur la vie et les ouvrages de Call. in Mém. de l'acad. d. inscr. t. VIII. p. 136 sqq. Ste Croix exam. crit. d. hist. d'Alex. le gr. ed. 2. p. 34. sqq.

10) Diod. Sic. XVI. 14. *Δίυλλος δ' ὁ Ἀθηναῖος ἦρκται τῆς ἱστο-*

tis auctoribus, ex eis decerpsit Plutarchus aut Diodorus Siculus, quae non vana est suspicio [11]).

Ex aliis scriptoribus quaedam servata sunt a Plutarcho, quae aliquid certe ad vitam Demosthenis illustrandam conferunt. In eis primus censendus est Theopompus Chius, vir amplissimae eruditionis eximiique ingenii, cuius libris LVIII *Φιλιππικῶν* deperditis iacturam fecimus quae restitui ac resarciri nullo modo potest. Atque illum quidem vitam oratoris non in transcursu tetigisse, sed a principio repetiisse docent quae ex eius libris a Plutarcho vit. Dem. c. 4. de genere Demosthenis afferuntur. Praeterea vix est dubitandum quin Plutarchus alia multa ex libris Theopompeis excerpserit omisso nomine auctoris, quod solet fere non adscribere nisi ubi aut singulare quid commemorat, uti ibid. c. 14. et 25, aut ubi diversas affert scriptorum sententias, aut ipse eam quam aliunde affert impugnaturus est. Id ipsum duobus eiusdem vitae locis factum est, ex quibus simul intelligitur quantum Theopompus in iudicando Demosthene a vero aberraverit. Cap. 13. pr. *ὅθεν οὐκ οἶδ' ὅπως παρέστη Θεοπόμπῳ λέγειν, αὐτὸν ἀβέβαιον τῷ τρόπῳ γεγονέναι καὶ μήτε πράγμασι μήτ' ἀνθρώποις πολὺν χρόνον τοῖς αὐτοῖς ἐπιμένειν δυνάμενον.* Cap. 18. *ἡ δὲ τοῦ ῥήτορος δύναμις, ὥς φησι Θεόπομπος, ἐκριπίζουσα τὸν θυμὸν αὐτῶν καὶ διακαίουσα τὴν φιλοτιμίαν ἐπεσκότησε τοῖς ἄλλοις ἅπασιν, ὥστε φόβον καὶ λογισμὸν καὶ χάριν ἐκβαλεῖν αὐτοὺς ἐνθουσιῶντας ὑπὸ τοῦ λόγου πρὸς τὸ καλόν. οὕτω δὲ μέγα καὶ λαμπρὸν ἐφάνη τὸ τοῦ ῥήτορος ἔργον, ὥστε τὸν μὲν Φίλιππον εὐθὺς ἐπικηρυκεύ-*

ρίας ἀπὸ τῆς ἱεροσυλήσεως, καὶ γέγραφε βίβλους εἴκοσι καὶ ἑπτά, συμπεριλαβὼν πάσας τὰς ἐν τοῖς χρόνοις τούτοις γενομένας πράξεις περί τε τὴν Ἑλλάδα καὶ τὴν Σικελίαν. Cf. Id. XVI. 76. Exc. lib. XXI. 5. p. 490. et W. H. GRAUERT. hist. u. philol. Analekt. p. 217. 24.

11) Vide locos ex Diodoro modo laudatos. Adde de Ephoro IV. 1. V. 1. XIV. 11. Plutarchum quoque scriptis Ephori et Callisthenis usum esse docent loci quos affert HEEREN de fontt. et auct. vitt. parall. Plut.

ἔσεσθαι δεόμενον εἰρήνης, ὀρθὴν δὲ τὴν Ἑλλάδα γενέσθαι καὶ συνεξαναστῆναι πρὸς τὸ μέλλον, ὑπηρετεῖν δὲ οὐ μόνον τοὺς στρατηγοὺς τῷ Δημοσθένει ποιοῦντας τὸ προσταττόμενον, ἀλλὰ καὶ τοὺς βοιωτάρχας, διοικεῖσθαί τε τὰς ἐκκλησίας ἁπάσας οὐδὲν ἧττον ὑπ' ἐκείνου τότε τὰς Θηβαίων ἢ τὰς Ἀθηναίων, ἀγαπωμένου παρ' ἀμφοτέροις καὶ δυναστεύοντος οὐκ ἀδίκως οὐδὲ παρ' ἀξίαν, ὥσπερ ἀποφαίνεται Θεόπομπος, ἀλλὰ καὶ πάνυ προσηκόντως [12]). Adde cap. 21. His locis abunde satis probatur importunitas animi atque maledicentia saepe numero iam ab antiquis scriptoribus notata [13]), a qua eum vindicare frustra conatus est editor novissimus [14]). Si quid est autem quod in excusationem viri de historia meritissimi afferri possit, non tam ex eius animi indole nimioque veritatis studio, quam ex statu graecarum civitatum, qualis tunc erat, repetendum illud esse videtur. Quippe puer adhuc cum patre Laconismi convicto e patria eiectus atque Isocrati in disciplinam traditus a prima iuventute odium imperii popularis imbiberat, quod postea in Demosthenem atque Athenienses omnes eo vehementius

12) In quibus quantum laudis tantundem acerbitatis inest, ita ut non ad auctoris aequitatem comprobandam afferri debuissent a Rankio l. l. p. 54.

13) Vid. Polyb. rell. VIII. 11. sq. Plut. vit. Lys. c. 30. d. malign. Herod. p. 855. Athen. VI. p. 254. B. Lucian. quom. hist. scrib. c. 59. Nep. Alcib. c. 11. Suid. s. v. Ἔφορος.

14) R. H. Eyssonius Wichers Theop. fragm. LB. 1829. 8. p. 49 sq. p. 253 sq. p. 259 sq. In eandem sententiam disputant Koch prolegg. ad Theop. p. 13 sqq. et Boeckh. oecon. civ. Ath. t. I. p. 316, quibus accedit Ranke l. l. Et hi quidem, ut omittam studium dignitatis auctori restituendae, a solo Dionysio Halic. pendent, qui ab isto eum crimine in Ep. ad Pomp. c. 6. defendere studet. Sed vide quae ad hunc locum annotavit Kruegerus in ed. historiogr. p. 56. De Theopompo praeter Batavum tam accurate iam disseruerunt F. Koch comm. d. Theop. Stett. 1792. 8, prolegg. ad Theop. ib. 1803. 4. Lips. 1807. 8, G. J. Aschbach diss. d. Theop. Francof. 1823. 4. A. J. E. Pflugk d. Theop. vit. et scr. Berol. 1827. 8, Theiss d. Th. vit. et scr. Hal. 1831. 8, ut ego quidem quod addam nihil habeam.

erupisse putandum est, quo magis iram accenderet recordatio eorum quae dictu gravia perpessuque aspera olim in patriam suam Chium Athenienses exercuissent. Itaque ubi quid contra Demosthenem a Plutarcho maligne dictum affertur, si non ex Aeschine depromptum est, e Theopompi Philippicis haustum esse haud absurde suspiceris.

Reliqua quae ex veteribus historiae scriptoribus affert Plutarchus tam sunt brevia ac minuta plerumque, ut quae auctorum de Demosthene sententia fuerit, nisi iam aliunde cognitum habes, non cognoscas. In eis sunt e quibus velles plura excerpsisset, velut Demochares, filius sororis Demosthenis, libertatis acerrimus propugnator avunculique ardentissimus admirator, cuius pium animum declarant ea quae leguntur cap. 30. [15]) et decretum supra iam laudatum, Aristóbulus Cassandrensis, rerum Alexandri scriptor praeclarissimus [16]), Philochorus Atheniensis, accuratissimus rerum Atticarum scriptor [17]); alii minorum gentium, velut Duris Samius, nimius Atheniensium propter res in Samios

---

15) *Πλὴν ὅτι Δημοχάρης, ὁ τοῦ Δημοσθένους οἰκεῖος, οἴεσθαί φησιν αὐτὸν οὐχ ὑπὸ φαρμάκου, θεῶν δὲ τιμῇ καὶ προνοίᾳ τῆς Μακεδόνων ὠμότητος ἐξαρπαγῆναι, συντόμως καταστρέψαντα καὶ ἀλύπως.* Cic. Brut. c. 82. Demochares orationes scripsit aliquot, et earum rerum historiam, quae erant Athenis ipsius aetate gestae, non tam historico quam oratorio genere perscripsit. cf. Luc. Macrob. c. 10. Eius hist. lib. XXI. commemorat Athen. VI. p. 253. B. Cf. RUHNKEN ad Rutil. Lup. d. figg. I. 2. p. 7. sqq. GRAUERT l. l. p. 331 sqq.

16) Plut. vit. Dem. c. 23. Eius historiam Alexandri plurimi aestimavit et excerpsit Arrianus, vid. prooem., item Plutarchus in vit. Alex. et Strabo in Indicis ea usi sunt. Hinc si depromta sunt quae habet Arrian. exped. Alex. I. 10, aliunde hausit Plutarch. vit. Dem. c. 23, qui quae habet cum Arrianeis non possunt conciliari. Cf. Voss. d. hist. gr. I. 10. p. 54 sq. STE CROIX exam. crit. p. 42 sq.

17) Plut. vitt. dec. oratt. p. 846. B. in caussa Harpalica, ubi accurate de pecuniis ab Harpalo Athenas allatis disputavit ibid. p. 847. A. in morte Demosthenis describenda. De eo vide quae commentati sunt LENZ et SIEBELIS in ed. fragm. Philoch. Lips. 1811. 8.

gestas, obtrectator [18]), **Marsyas Pellaeus** [19]), **Phylarchus** [20]), alii [21]).

---

18) De Samo egit in libro cuius titulus *Σαμίων ὧροι* recte demum a SCHWEIGHAEUSERO restitutus est. Vid. Athen. XV. p. 696. E. Ex quo libro hausit haud dubie Plutarchus quae habet in vitt. Pericl. c. 28. Lys. c. 17, fortasse etiam quae de Alcibiade in huius vit. c. 32. et in vit. Ages. c. 3. Ex his locis, quibus adde vitt. Dem. c. 19. 23. Eumen. c. 1. Alex. c. 15, patet quam sublestae fidei auctor Duris Plutarcho fuerit, quocum mire discrepat iudicium Ciceronis in Epp. ad Att. VI. 1, ubi homo in historia diligens nescio quo iure appellatur. Atque hi quidem loci deprompti sunt ex opere amplissimo *ἱστορίαι* sive *Μακεδονικά* inscripto. Haec enim non diversa, sed unum atque idem opus fuisse recte iam perspexit VOSS. d. hist. gr. I. 15. p. 96, quod non debebat negare GRAUERTUS l. l. p. 216, 20. Scilicet Diod. Sic. XV. 60. *Δοῦρις δ' ὁ Σάμιος ὁ ἱστοριογράφος τῆς τῶν Ἑλληνικῶν ἱστορίας ἐντεῦθεν ἐποιήσατο τὴν ἀρχήν*, i. e. ab obitu Amyntae et ineunte Philippi imperio. Macedonica, quod sciam, praeter Schol. Apollon. Rhod. IV. 264, qui laudat librum XV. (ubi sermo est de Arcadia), solus Athenaeus commemorat, et quidem VI. p. 249. C. librum V., ubi sermo adhuc est de tempore Philippico, et IV. p. 167. C. librum VII., ubi agitur de rebus Alexandri post expugnatam Tyrum. Iam si cum istis comparas quae ab eodem afferuntur fragmenta ex Historiarum libro II. de bello sacro XIII. p. 560. B., cf. Harpocr. s. v. *Ἀσπασία*, ex libro VII. de Persis X. p. 434. E, ex libro IX. de Alexandro XIII. p. 606. C, ex libro XVI. de Demetrio Phalereo XII. p. 542. B, ex libro XVII. de Polysperchonte IV. p. 155. C., ex libro XXII. de Demetrio Poliorcete VI. p. 253. D. XII. p. 535. C. coll. p. 546. C., dubium vix esse potest quin diversos unius operis titulos habeamus; nam eaedem prorsus utrobique res tractantur. Exorsus est ab obitu Amyntae, libro V. fere historiam Philippi absolvit, libro VII. iam in Persis versantem Alexandrum et Tyrum expugnatam habemus. Itaque Demosthenica Plutarchus ex libb. V. et VI. videtur deprompsisse. Historiam autem Graeciae, ex quo sub imperium ditionemque Macedonis cecidisset, Macedonica quoque dici potuisse certum est. Nec repugnabo, si quis coniiciet, titulum fuisse *Ἑλληνικαὶ καὶ Μακεδονικαὶ ἱστορίαι*, aut solum *ἱστορίαι*, ita ut, qui laudent *Μακεδονικά*, ex re potius inscriptionem petiisse videantur. Turpiter vero errant STE CROIX exam. crit. p. 53. et qui eum ad verbum exscribit SCHOELL. hist. lit. gr. ed. germ. t. II. p. 124, qui scripsisse eum asseverant *Ἐθνικά* (sec. Eustath. ad Il. p. 71. I. v. 155, ubi tamen ne nomen quidem Duridis adscriptum est, sed nihil aliud legitur

Historiae scriptorum, ut hos nunc absolvam, qui res gestas Demosthenis tetigerunt, duo tantum aetatem tule-

---

quam: ὁ δὲ τὰ Ἐθνικὰ γράψας κτλ., quem Hellanicum sive alium ex genere logographorum fuisse puto), quae ab obitu Amyntae incepisse et obitu Jasonis exiisse ex Diod. Sic. l. l. colligunt, tum Μακεδονικά, in quibus perrexerit historiam Macedoniae inde ab obitu Jasonis enarrare. Quae falsa sunt omnia. Praeterea vide quae accurate exposuit C. Sintenis ad Plut. vit. Pericl. c. 28. p. 194 sqq.

19) Marsyas Pellaeus, Antigoni regis frater, una cum Alexandro educatus, scripsit opus de educatione Alexandri, quod idem esse puto quod ab Harpocrat. τὰ περὶ Ἀλέξανδρον inscribitur; hic enim ex eius lib. V. s. vv. Ἀριστίων et Μαργίτης talia laudat quae, si historia Alexandri fuisset, in I. potius libro locum habuissent. Tum composuit Ἀττικά libb. XII. et Μακεδονικά libb. X, quorum lib. VII. laudat Harpocr. s. v. Μύρτανον, addito cognomine τοῦ πρεσβυτέρου. Item Marsyas ὁ νεώτερος, Philippensis, Μακεδονικά scripsit, quorum lib. VI. laudat Harp. s. v. Δητή. De scriptoribus qui nomine Marsyae apud Graecos innotuerunt expositum esse nuperrime fertur in prooem. lectt. Vratisl. a. 1836.

20) Quae apud Plut. vit. Dem. c. 27. leguntur dubium est utrum ex magno Phylarchi opere ἱστορίαι inscripto, cuius lib. XXVIII. laudat Athen. VI. p. 251. C., an aliunde petita sint. Certe Schoell hist. litt. Gr. ed. Germ. t. II. p. 133, ubi omnia misere confusa sunt, loco Plutarcheo adductus esse videtur, ut ἱστορίας a morte Alexandri incepisse diceret. At Suidas s. v. Φύλαρχος (ἔγραψεν) τὴν ἐπὶ Πελοπόννησον Πύρρου τοῦ Ἠπειρώτου στρατείαν ἐν βιβλίοις κή· κατάγει δὲ καὶ μέχρι Πτολεμαίου τοῦ Εὐεργέτου κληθέντος καὶ τῆς Βερενίκης τελευτῆς καὶ ἕως τοῦ θανάτου Κλεομένους τοῦ Λακεδαιμονίου ἐπιστρατεύσαντος αὐτῷ Ἀντιγόνου. Quae recte iam Voss. d. hist. gr. I. 17. p. 111. ita explicuit, ut quo facto inceperit quoque finierit Phylarchus historiam suam Suidas indicare vellet. Deinceps apud eundem leguntur haec: τὰ κατὰ τὸν Ἀντίοχον καὶ τὸν Περγαμηνὸν Εὐμένη· ἐπιτομὴν μυθικήν· περὶ τῆς τοῦ Διὸς ἐπιφανείας· περὶ εὑρημάτων· παρεμβάσεων βιβλία θ'. Hoc ultimo libro *de significationibus* eum egisse nescio quo iure ait Voss. l. l. Sevin (recherches sur la vie et les ouvrages de Phylarque, in Mem. de l'acad. d. inscr. t. XI. p. 185. sqq.) e Suida nescio quo περὶ παρεισβάσεων affert, idque ipsum in παρεκβάσεων mutari vult, ut auctor ibi res in historiis omissas et tamen scitu dignas seorsim tanquam digressiones tractaverit. Sed iure hoc reiicit J. F. Lucht in ed. Phyl. histor. fragm. Lips. 1836. 8. p. 12; quoniam digressio non sit, ubi nihil est unde oratio digrediatur. Quam vero ipse proponit explicationem

runt, Diodorum Siculum dico et Trogum Pompeium sive potius eius epitomatorem Iustinum. Hi

---

voc. *παρεμβάσεων*, ut, quoniam *παρεμβαίνειν* significet *iuxta incedere*, Phylarchus opus suum ita appellaverit, quod quasi comes iuxta historias suas incederet et res in iis narratas illustraret, mihi non probari libere confiteor. Scilicet *παρέμβασις* vocabulum est quod etsi recte compositum tamen nusquam apud veteres scriptores legitur; libros vero inscribi oportet non solum verbo usitato, verum tali etiam ex quo statim intelligas, quam rem tractandam sibi scriptor sumpserit. At veteres, ais, libris suis nova et singularia nomina indere amabant. Sed hoc eatenus tantum verum esse, quod novi essent tituli, nomina ipsa per se vulgaria atque usitata, patet ex Gell. N. A. XX. 11. Neque quod sequioris aevi scriptores sibi permiserunt, item Phylarchum sibi permisisse crediderim. Deinde hoc plane novum atque inauditum est, quod ponitur, ita historias istas fuisse comparatas, ut commentarii auxilio indigerent. Qui commentarius quid tandem continuerit expiscari frustra studui, nedum ut credam, eum scriptum esse ab ipso auctore, quem nimis uberem atque copiosum in rebus illustrandis fuisse scimus ex Polyb. II. 56. Nec quicquam omnino est quod cogat, ut ponamus opus illud historicum fuisse, praesertim cum a Suida ab historicis libris separatim nominetur. Luchtius autem ad istam opinionem eo delapsus esse videtur, quod quae sub nomine Phylarchi traduntur a Plut. vit. Them. c. 32. de liberis Themistoclis, vit. Camill. c. 19. de die quo Troia capta sit, denique vit. Dem. l. l., non attingunt tempora a quibus ille historias suas exorsus est. Verum harum quoque rerum occasione data exemplique caussa in historiis mentionem fieri potuisse certum est multisque aliorum scriptorum exemplis comprobari potest. Eiusdem generis sunt, quae de Philippo scripta ex hist Phylarchi lib. XXI. laudat Athen. VI. p. 249. D. Ceterum voc. *παρεμβάσεων* corruptum esse censeo; sed nihil iuvat emendationes effundere; corrigere certe facilius est quam correctionis veritatem demonstrare.

21) Plut. vit. Dem. c. 30. *τῶν δ' ἄλλων, ὅσοι γεγράφασι περὶ αὐτοῦ, πάμπολλοι δέ εἰσι, τὰς διαφορὰς οὐκ ἀναγκαῖον διεξελθεῖν.* Ex his unum tantum nomino *Critolaum*, quem de Demosthene scripsisse testis est Gell. N. A. XI. 9. Eadem fere ibi narrantur quae habet Plut. vit. Dem. c. 25.; verum quae hic ad caussam Harpalicam, ille nescio quo errore ad Milesiorum legatos auxilii petendi caussa Athenas missos refert; certe Milesii tum in nullo numero erant neque unquam eorum in rebus Demosthenicis mentio fit. Adde Polluc. VII. 104. qui dictum illud de *ἀργυράγχῃ* Demadi tribuit.

quid conferant ad vitam oratoris illustrandam tum demum apparebit, cum ex quo sua quisque fonte hauserit cognoverimus. Quae res etsi nacta est investigatores gravissimos atque sagacissimos [22]), nondum tamen ad liquidum perducta est. Etenim utriusque in historia Philippica pro communi tanquam fonte vulgo habetur Theopompus, eiusque ipsius non morem solum illos sequi, sed haud dubie ipsa saepe verba referre contendit vir de hac parte historiae meritissimus [23]). Quod quibus argumentis confirmari possit non assequor. Ac primum quod ad Diodorum attinet, certissimum est, eum ex Theopompo hausisse, quem ipsum in fontibus suis numerat [24]); sed aliud est haurire, aliud morem alicuius

---

Eodem teste Critolao Gellius ibidem loquitur de Demosthene largitione corrupto. Verum ipse ibid. c. 10. ex C. Gracchi oratione qua legem Aufeiam dissuasit locum affert, in quo idem plane non ad Demosthenem, sed ad Demadem refertur. Cf. harum quaest. P. III. p. 109. annot. 299. Ex quo efficitur, quam sit subfestae ille auctor fidei. Critolaus autem qui fuerit difficile dictu. SCHOELL hist. litt. gr. ed. germ. t. II. p. 142. quo iure ex loco laudato Gellii collegerit, eum aequalem fuisse virorum qui ipsi adhuc Demosthenem vidissent, ipse viderit. Cautius agit VOSS. d. hist. gr. III. p. 348. sq., qui nihil dum ait sibi occurrisse, unde eundem illum esse atque illustrem peripateticum colligi possit; praeterea plures fuisse eius nominis scriptores. Ego equidem in tanta testimoniorum penuria affirmare nihil audeo. Ex operis historici Critolai, inscripti Ἠπειρωτικά, libro III. locum servavit Plutarch. parall. c. 6. t. VII. p. 223. ed. Reisk. Hic non potuisse de Demosthene sermonem esse sponte intelligitur. At si idem est Critolaus, ex cuius operis φαινόμενα inscripti libro IV. Plutarch. ibid. c. 9. p. 226. quaedam affert, non repugnabo si quis philosophum atque historicum eundem esse contendet.

22) HEYNE d. fontt. et auctt. hist. Diod. et de eius auctoritate ex auctorum quos sequitur fide aestimanda commentt., in comm. soc. Gott. Vol. V. P. 3. p. 89. sqq. Vol. VII. P. 3. p. 75. sqq. 107. sqq. repet. in ed. Bipont. t. I. p. XIX—CIV. HEEREN de Trogi Pompei eiusque epitomatoris Iustini fontibus et auctoritate, in comm. soc. Gott. Vol. XV. p. 185. sqq. repet. in ed. Frotscheri.

23) WEISKE d. hyperb. P. I. p. 53.

24) I. 37. IV. 1. XIV. 84. XVI. 3. 71.

sequi et ipsa saepe verba referre. Non repugnarem, si solus esset Theopompus, ex quo hausit Diodorus; atqui usus est etiam in historia Philippica scribenda aliis scriptoribus iisque Theopompo haud inferioribus[25]; quid igitur impedit quin dicam horum quoque morem eum sequutum esse ac verba retulisse? At, inquiet aliquis, non omnium simul morem sequutus esse potest et verba retulisse, sed optione data unum elegit quem ut gravissimum auctorem sequeretur. Ille autem unus quis fuit? Theopompus, aiunt. Ego vero nego, neque longa et artificiosa, sed satis facilis ac simplex est argumentatio mea. Scilicet si morem Theopompi sequutus est Diodorus, sequitur ut utriusque de summis hominibus iudicium concinat. At vide quantum discrepent quae sequuntur. Videamus primum de primarum partium actore Philippo. Perpauca nobis ex immenso Theopompi opere reliqua sunt fragmenta, sed vel in his paucis insunt ex quibus quid auctor de Philippo censuerit facile intelligitur. Vid. fragm. ex lib. XXVI. ap. Athen. VI. p. 260. B. X. p. 435. B, ex lib. XLIX. ap. Athen. IV. p. 166 sq. coll. Polyb. VIII. 11 sq, ex lib. LIII. ap. Athen. X. p. 435. In his nihil est quod osor regiae magnitudinis intactum inviolatumque relinquat; quippe Philippus ebrietate, prodigentia, petulantia, omni genere sceleris foedissime commaculatus. A quibus criminationibus tantum abest Diodorus, ut nunquam Philippum non admiretur, non fortuna, sed propria sua virtute ad tantam dignitatem elatum esse dicat XVI. 1, laudet eius pietatem (*τὴν εἰς τοὺς θεοὺς, εἰς τὸ θεῖον εὐσέβειαν*) ibid. c. 1. 38. 60. 64, humanitatem (*φιλανθρωπίαν*) ibid. c. 8, liberalitatem atque beneficentiam (*εὐεργεσίαν*) ibid. c. 55, affabilitatem (*τὴν ἐν τοῖς λόγοις ὁμιλίαν καὶ φιλοφροσύνην*) ibid. c. 95. Uter utro rectius iudicarit nolo nunc disceptare; hoc autem in oculos incurrit, non sequi alterum alterius morem,

---

25) Vid. supr. annott. 6 — 10.

sit; cuius ut fundamentum iaciamus, partem aliquam historiae Pompeianae cum Diodorea comparemus.

Diodorus.	Olymp.	Iustinus.
Lib. XVI. Bellum sacrum.	106,2.	Lib. VIII. Bellum sacrum.
Phocenses damnati propter agros sacros cultos, cap. 23.		Phocenses damnati propter Boeotiam devastatam, cap. 1.
Philippus a Thessalis adversus Lycophronem Pheraeum in auxilium vocatur, qui ipse Phocenses duce Phayllo arcessit; huic a Philippo victo auxilium fert Onomarchus, a quo bis victus Philippus in Macedoniam se recipit; Onomarchus, dum in Boeotiam populabundus irrumpit, interea Philippus in Thessaliam reversus Lycophronem aggreditur; a quo iterum Onomarchus arcessitus a Philippo ope Thessalorum equitum devincitur, 35.	106,4.	Adversus Onomarchum Thebani Thessalique Philippum ducem eligunt, qui iussis militibus coronas laureas sumere hoc insignium dei conspectu Phocenses conterret et in fugam vertit, et hoc modo finem bello imponit, 2.
Onomarcho succedit frater Phayllus, quem multis proeliis Boeoti superant, 36. 37.	107,1.	
Philippum rebus in Thessalia compositis ipsos Phocenses petentem Athenienses a Thermopylis arcent, 38.		Athenienses audito belli eventu Thermopylas occupant, 2.

Phayllo succedit Phalaecus, Onomarchi filius, 38.	Olymp	
Bellum geritur varia fortuna, 39. sq. 56.	107,2.	
Bellum Olynthium, 53.	107,4.	
Athenienses instigante Demosthene socios adversus Philippum ad arma vocant, 54.	108,1.	
Phalaecus praetura se abdicare cogitur, in eiusque locum Dinocrates, Callias, Sophanes succedunt, 56.	108,2.	
Boeoti in summum discrimen adducti Philippum advocant, 58. Phalaecus restituitur, induciis factis cum Philippo in Peloponnesum recedit, 59. Finis belli sacri.	108,3.	
Philippus Illyriam depopulatur, res in Thessalia componit, 69.	109,1.	Philippus in socios saevit, in Cassopiam [29]) traiicit; quam captis per dolum et occisis finitimis regibus provinciam Macedoniae adiungit, 3.

---

29) In libris legitur *Cappadociam*, sed *Cassopiam* verissima est *Valesii* coniectura, repetita ex or. d. Halon. p. 84. §. 32, idque reponendum in harum Quaestt. Part. I. p. 5. annot. 4. Vid. VOEMEL in annal. Heidelberg. a. 1831. nr. 36. p. 575 sq. De Cassopaeis Strab. VII. p. 324. *Χάονες μὲν οὖν καὶ Θεσπρωτοὶ καὶ μετὰ τούτους ἐφεξῆς Κασσωπαῖοι, καὶ οὗτοι δ᾽ εἰσὶ Θεσπρωτοί, τὴν ἀπὸ τῶν Κεραυνίων ὀρῶν μέχρι τοῦ Ἀμβρακικοῦ κόλπου παραλίαν νέμονται.* Cf. MANNERT Geogr. t. VII. p. 635.

	Olymp.	
		Post haec Olynthios aggreditur, inde auraria in Thessalia, argenti metalla in Thracia occupat et piraticam quoque exercere instituit.
Philippus Thraces subigit, 71.	109,2.	Fratres duo reges Thraciae tanquam disceptationum iudex vocatus regno spoliat.
		Dum haec aguntur, legati Atheniensium petentes pacem ad eum veniunt, 4.

Haec sufficiunt ad demonstrandum, quantum distet a Diodoro Iustinus quamque parum fidei huic habendum sit; quippe non solum res ipsas miserrime concidit et in nihil pene contrahit, verum etiam seriem earum atque ordinem mirifice conturbat. Et hoc quidem ita comparatum est, ut non solum epitomatori, licet satis inepto (qui, ut ait in praefatione, tantum cognitione quaeque dignissima excerpsit et omissis his, quae nec cognoscendi voluptate iucunda nec exemplo essent necessaria, breve veluti florum corpusculum fecit), debeatur, verum ipsi quoque Trogo Pompeio imputandum esse videatur, quem aut ut Romanum Graeca non satis intellexisse aut, quod propius a veritate abest, rei magni animi et corporis imparem hic illic per errorem lapsum esse oportet. In Graecis enim historicis, qui quae inter se gregatim occuparant Pompeius, omissis quae sine fructu essent, omnia divisa temporibus et serie rerum gestarum composuit, vitia eum repperisse, quale est tempus belli Olynthici, non est consentaneum. Sed quaedam tamen sunt quae non tam pro vitiis habenda, quam ex diversitate fontium explicanda esse vi-

deantur, quo pertinent caussa damnationis Phocensium, coronae laureae, Cassopia, alia; ex quo efficitur ut alios scriptores sequutus sit Diodorus, alios Pompeius. Sed qui fuerint quos excerpsit Pompeius obscurum est, quia eorum nullus nominatur multaque epitomator oppressit, ex quibus coniectura fieri potuisset. Verum tamen si relictis singulis partem qua continetur historia Philippica tanquam totum et corpus aliquod contemplamur ac reputamus, quanta sit vis, ferocia, atrocitas, ira, acrimonia, qua Iustinus Philippum proscindit, Graecorum ignaviam castigat, victoris superbiam victorumque populorum calamitates ac miserias describit, et quae sunt similia, vix possumus nos continere quin in eorum sententiam concedamus, qui haec ex Theopompi Philippicis profecta esse opinantur. Unde vero prodierint quae l. l. de Demosthene dicta sunt, frustra quaesivi; prodiisse ea tamen ex fonte haud vulgari patet, cum referat Iustinus Demosthenem Megaris exulasse, quem plurimi tunc Troezene sive Aeginae fuisse tradunt, et Hyperidem legatum in Peloponnesum sequutum esse suaque eloquentia Sicyona, Argos et Corinthum Atheniensibus iunxisse, cum ex Phylarcho apud Plut. Dem. c. 27. constet tantum in Arcadia eum cum Pythea pugnasse, quo legatum Polyeuctum missum esse legitur apud eund. in vitt. dec. oratt. p. 846 C.

Iam missis historiae scriptoribus ad reliquos transeo varii generis auctores, eos praesertim quibus Plutarchus in vita Demosthenis scribenda usus est. Ac primum paucis liceat attingere levissimos, comicos poetas, qui, quanquam nulla fere in rebus seriis auctoritas eis tribui solet, minime tamen tanquam nullius pretii testes repudiandi sunt; namque summa plerumque in ioco veritas, neque comici in proscindendis civibus quod prorsus ab re et veritate abhorreret fingendum sibi sumebant, sed id tantum publico conspectui ac risui exponebant, quod aut per se probabile aut revera actum, dictum, auditum esset, licet prout cuique libido

esset iocose exaggeratum sive deminutum. Itaque eorum testimonium eatenus audire refert quo intelligitur, quid populus de optimis quibusque civibus a comicis sibi dici passus sit. Demosthenes, ut reliqui omnes viri de republica meritissimi [30]), haud effugit acerbam comicorum irrisionem, in quibus prae ceteris duo potissimum nominantur, Antiphanes atque Timocles, eosque intelligendos esse in vit. Dem. c. 9. [31]) sequitur tam ex nomine Antiphanis adscripto, quam ex loco vitt. dec. oratt. p. 845. B, ubi cum Antiphane Timocles coniungitur. Confirmat Athenaeus qui VI. p. 323 sq. VIII. p. 341. ex Antiphane, Timocle, Alexide, Anaxila, largissimam praebet messem iocorum in Demosthenem dic-

---

30) Comicorum testimonia Plutarchus saepissime in vitis, interdum etiam in reliquorum oratorum excitat, ut Cratini in Antiph. p. 833. A, Platonis ibid. p. 833. C, Aristophanis in Isocr. p. 836. E. in Lyc. p. 843. E, Strattidis in Isocr. p. 836. E, Theopompi in Isaeo p. 839. F. Alia multa huius generis praebet Athenaeus.

31) *A.* Ἀπέλαβεν, ὥσπερ ἔλαβεν. *B.* ἠγάπησεν ἂν
τὸ ῥῆμα τοῦτο παραλαβὼν Δημοσθένης.

Haec olim ab editoribus non recte intellecta esse patet et ex personarum confusione quam illi admiserunt, et ex emendationibus quas fuerunt qui proponerent. Plurimum ad recte explicandum confert Athenaeus, qui VI. p. 223. E. hos versus ex Antiphanis Neottide ita laudat:

A. ὁ δεσπότης δὲ πάντα τὰ παρὰ τοῦ πατρὸς
ἀπέλαβεν, ὥσπερ ἔλαβεν. *B.* ἠγάπησεν ἂν
τὸ ῥῆμα τοῦτο παραλαβὼν Δημοσθένης.

Ac prima verba servum loqui patet, isque non alius fuerit quam cuius Id. III. p. 108. E. ex eadem fabula verba affert:

παῖς ὢν μετ' ἀδελφῆς εἰς Ἀθήνας ἐνθάδε
ἀφικόμην ἀχθεὶς ὑπό τινος ἐμπόρου
Σύρος τὸ γένος ὤν, κτλ.

Iam quid ille herum, cum cepisset, recepisse tanquam suum dixerit, obscurum est; Demosthenem autem eiusque de Haloneso recipienda dictum nobile illudi, tam ex aliis multis quos Athenaeus subiicit de eadem re iocis comicorum, quam ex verbis eius qui respondet intelligitur. Hoc, inquit, nihili est; Demosthenes (quippe qui hac ipsa captione usus est aliquando) hoc responso acquiesceret, non ego.

torum. His caute et cum iudicio utendum esse vix est quod moneam.

Ad graviores accedimus, quorum facile princeps est Demetrius Phalereus, e plebe oriundus, Theophrasti auditor, vir admirabilis ingenii eximiaeque doctrinae, qui postquam de patria bene mereri desierat expulsus ad Ptolemaeum se regem Alexandriam contulit ibique multa praeclara in calamitoso otio scripsit[32]. Huius pro gravissimo habendum est testimonium, quod non solum eodem fere quo Demosthenes tempore vixit (rempublicam enim capessivit fere Ol. CXIII, 4.), sed ipsius etiam oratoris consuetudine usus est ex eoque sene audivit, quae ad eius vitam illustrandam vel maxime pertinerent, ut quae de exercitationibus eius oratoriis refert Plut. vit. Dem. c. 11. *τοῖς δὲ σωματικοῖς ἐλαττώμασι τοιαύτην ἐπῆγεν ἄσκησιν, ὡς ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος ἱστορεῖ, λέγων αὐτοῦ Δημοσθένους ἀκούειν πρεσβύτου γεγονότος, κτλ.* Cuius generis utinam plura a Plutarcho servata essent; reliqua enim quae leguntur capp. 9. 14.[33]) pauca sunt ac pene minuta. Ceterum quo in libro de Demosthene scripserit Demetrius obscurum est; sunt qui vitam Demosthenis eum composuisse dicant, quod non tam certo argumento quam coniectura nititur[34]; sunt

---

32) Vid. Diog. Laert. V. 5, 75 sqq. Cf. H. Dohrn d. vit. et reb. Dem. Phal. Kil. 1818. Grauert Analekt. p. 310 sqq.

33) Verba c. 14. *Δημοσθένης δ' οὐκ ὢν ἐν τοῖς ὅπλοις ἀξιόπιστος, ὥς φησιν ὁ Δημήτριος, οὐδὲ πρὸς τὸ λαμβάνειν παντάπασιν ἀπωχυρωμένος, ἀλλὰ τῷ μὲν παρὰ Φιλίππου καὶ Μακεδονίας ἀνάλωτος ὤν, τῷ δ' ἄνωθεν ἐκ Σούσων καὶ Ἐκβατάνων ἐπιβατὸς χρυσίῳ γεγονὼς καὶ κατακεκλυσμένος, ἐπαινέσαι μὲν ἱκανώτατος ἦν τὰ τῶν προγόνων καλά, μιμήσασθαι δ' οὐχ ὁμοίως,* num universa Demetrii putanda sint cum Weiskio d. hyperb. I. p. 55. annot. 119, an ea modo quibus nomen auctoris appositum est, *οὐκ ὢν ἐν τοῖς ὅπλοις ἀξιόπιστος*, ita ut reliqua sint Plutarchi, incertum est. Certe voc. *κατακεκλυσμένος* in mentem revocat Aeschineum de eadem re dictum *ἐπικέκλυκε* in Ctesiph. §. 173.

34) Uti Weiskius l. l. qui locum nullum adscripsit, sed fortasse in mente habuit Dionys. Halic. d. admir. vi dic. Dem. c. 53. *καὶ-*

tamen in eius libris a Diogene Laert. V. 5, 80 sq. laudatis, in quibus de Demosthene[35]) dictum esse poterat, velut περὶ τῶν Ἀθήνησι πολιτῶν, περὶ δημαγωγίας, περὶ πολιτικῆς, περὶ ῥητορικῆς.

Tempore proximus est Ctesibius, si quidem ex eo Hermippus hausit atque idem est, ut opinor, qui ἱστοριογράφος supra centum annos vixisse traditur a Phlegont. d. longaev. 2. p. 112. ed. Franz. et Lucian. Macrob. c. 22, quique philosophus dicitur ab Athen. I. p. 15. C. IV. p. 162. E, ac secundum Diog. Laert. IV. 6, 37. Arcesilai tempore vixit. Huc accedit quod, quae Plut. Dem. c. 5. ex eo teste Hermippo affert, Idem in vitt. dec. oratt. p. 844. C. accuratius emendatiusque repetit ex ipso, ut videtur, libro Ctesibii inscripto περὶ φιλοσοφίας.

Iisdem temporibus floruit Aristo Chius[36]), Stoicus, Zenonis discipulus, cuius e libro aliquo memorabile dictum Theophrasti de Demosthene ac Demade refert Plut. Dem. c. 10, aliud quid de morte oratoris ibid. c. 30. Nec falli puto *Jonsium*, qui haec ex Aristonis libri πρὸς τοὺς ῥήτορας, laudato a Diog. Laert. VII. 2, 163, depromptum esse putat, quo ducunt etiam verba Plutarchi c. 10. Ἀρίστων Θεοφράστου[37]) τινὰ δόξαν ἱστόρηκε περὶ τῶν ῥητόρων.

τοι φύσει πρὸς ταῦτα οὐ πάνυ εὐτυχεῖ χρησάμενος, ὡς Δημήτριος ὁ Φαληρεύς φησι, καὶ οἱ ἄλλοι πάντες οἱ τὸν βίον αὐτοῦ συγγράψαντες. Verum οἱ τὸν βίον αὐτοῦ συγγράψαντες vereor ut sint quos dicimus biographi, sed ii tantum, οἳ γεγράφασι περὶ αὐτοῦ, ut ait Plut. vit. Dem. c. 30, i. e. qui aliquid de eo quantumvis aut accurate aut breviter commentati sunt. Neque, si veros Dionysius vitae scriptores voluit intelligi, incredibile est, eum Demetrium propter ipsum dictum de oratoris imbecillitate, saepius, ut videtur, ab aliis repetitum (cf. Plut. c. 11.) ac sibi quoque traditum in eorum numero habuisse.

35) Et de Aeschine. Vid. Schol. ad Apollon. vit. Aesch. in orr. Att. ed. Bekk. t. III. p. 247.

36) De eo vid. G. Bernhardy Eratosthenica p. 189 sqq.

37) Theophrastus quo in libro hoc et quod habet Plut. Dem. c.

Sequitur par nobile virorum, Callimachus atque Eratosthenes, uterque immensae doctrinae atque admirabilis diligentiae ac sedis litterarum hac aetate illustrissimae decus immortale. Atque de Callimacho quidem paucis defungi licet, quoniam num scripserit vitam Demosthenis, quae pars fuerit operis amplissimi, inscripti secundum Suidam *πίνακες τῶν ἐν πάσῃ παιδείᾳ διαλαμψάντων καὶ ὧν συνέγραψαν, ἐν βιβλίοις κ' καὶ ρ'*, quod sunt qui affirment [38]), obscurum est, quanquam non incredibile; certe neque ex reliquiis ipsius libri hoc colligi potest [39]), neque ex verbis Dionysii Halicarn. Dinarch. c. 1. *ἅμα δὲ ὁρῶν οὐδὲν ἀκριβὲς οὔτε Καλλίμαχον οὔτε τοὺς ἐκ Περγάμου γραμματικοὺς περὶ αὐτοῦ γράψαντας*, quae quomodo accipienda sint docent quae statim sequuntur: *ἀλλὰ παρὰ τὸ μηδὲν ἐξετάσαι περὶ αὐτοῦ τῶν ἀκριβεστέρων ἡμαρτηκότας, ὡς μὴ μόνον ἐψεῦσθαι πολλά, ἀλλὰ καὶ λόγους τοὺς οὐδὲν μὲν αὐτῷ προσήκοντας ὡς Δεινάρχου τούτῳ προστίθεσθαι, τοὺς δ' ὑπ' αὐτοῦ γραφέντας ἑτέρων εἶναι λέγειν.* Totum opus catalogo bibliothecae quam historiae litterariae similius fuisse certum est; namque continebat scriptorum in varias secundum argumentum classes divisorum nomina, forte patriam quoque, genus et aetatem, tum libros eorumque accuratam ad versuum usque numerum descriptionem, denique de eorundem vera origine disputationem. Quae quanquam ab ipsis scriptorum vitis describendis multum absunt, multum tamen ea ad vitas illas illustrandas contulisse credibile est, quoniam iudicium de scriptis

---

17. scripserit, in tanta eius scriptorum copia, quam affert Diog. Laert. V. 2, 42 sqq., ad liquidum perduci nullo modo potest.

38) A. G. Becker Demosth. philipp. Red. t. II. p. 506 et Ranke in Encycl. t. VI. p. 54. Bernhardy hist. litt. Gr. t. I. p. 134. Hermippi *βίους* hinc profecisse suspicatur.

39) Dionys. Halic. Isae. c. 6, Dinarch. c. 1. 10, d. adm. vi dic. Dem. c. 13. Athen. V. p. 244. A. p. 252. C. VIII. p. 336. E. XI. p. 496. F. XIII. p. 585. B. XIV. p. 643. F. XV. p. 669. D. Has tabulas commentatus est Aristophanes Byzantius, Id. IX. p. 408. F.

genuinis adulterinisve tantum modo ex intima et hominis et vitae eius cognitione ferri potest, idque vel maxime valere de oratoribus, qui toti plerumque in republica regenda erant quorumque scripta tam suarum quam publicarum rerum quasi effigiem repraesentabant, cum per se intelligitur, tum ex ipsis Callimacheis apparet, quae ex capite de oratoribus servavit Dionysius Halicarnassensis. Interdum hic virum eruditissimum a vero aberrasse non admirabere, si reputes, quantus operis fuerit ambitus quamque diversa ac multiformia quae in eo pertractanda sibi sumpsit genera doctrinae; nec magis mirum, unius generis (oratorii) errores virum in hoc uno genere versatissimum, Dionysium dico, hic illic indagasse. Iam ex Demosthenicis Callimachi sub eius ipsius nomine paucissima servata sunt; multum tamen etiam Dionysium in Ep. ad Ammaeum I. et in libello de admiranda vi dicendi Demosthenis hinc transtulisse facilis coniectura est. Arte tantum opinor et ingenio, non ratione, differebant a Callimacho Pergameni [40]) atque reliqui *πινακογράφοι* [41]).

Copiosius aliquanto dicendum est de Eratosthene. A quo quae Plutarchus habet in vit. Dem. c. 9. de Demosthenis furore oratorio, c. 30. de eius morte, quae repetit in vitt. decc. oratt. p. 847. B, ex quonam eius librorum sumpserit, quis dicat, cum non omnium eaque haud accurata ad nos notitia pervenerit [42]). Scripsisse Eratosthenem vitam Demosthenis facilius est ad divinandum quam ad demonstrandum [43]). Viden-

40) Dion. Halic. Dinarch. c. 1. 11. Huc Apollonidem quoque laudatum ab Harpocr. s. v. *Ἴων* refert BERNHARDY l. l. p. 135.

41) Vid. Steph. Byzant. s. v. *Ἄβδηρα*.

42) Vid. BERNHARDY Eratosthenica, Berol. 1822. 8. et indicem librorum Eratosthenis apud CLINTON fast. hellen. t. III. p. 514 sqq.

43) HEEREN d. fontt. Plut. p. 96. *inter sexcentos quos edidit commentarios eum unum quoque Demostheni consecrasse probabile saltem videtur.*

dum potius an non in eis libris, quorum tituli etiamnunc extant, aliquis insit in quo locum habuisse videantur. Ac statim incidimus in librum qui χρονογραφίαι secundum Dionys. Halic. Ant. Rom. I. 46, sive περὶ χρονογραφιῶν secundum Harpocrat. Lex. s. v. Εὔηνος inscriptus erat, nec dubitavit scriptor Eratosthenicorum eruditissimus, *Godofr. Bernhardy*, utrumque quod apud Plutarchum legitur fragmentum huc referre. Verum est quod contra dici possit, nec diffiteor virum illum sagacissimum in historicis Eratosthenis fragmentis ordinandis suisque locis restituendis suo nimium arbitratui videri permisisse. Scilicet opus ipsum bis tantum ll. ll. nominatur; ac priore Dionysius de anno urbis conditae disserens Catonis sententiam affert, qua res Romanae initium cepissent annis CCCCXXXII post Troiam eversam; ὁ δὲ χρόνος οὗτος ἀναμετρηθεὶς ταῖς Ἐρατοσθένους χρονογραφίαις κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος πίπτει τῆς ἑβδόμης Ὀλυμπιάδος, — altero Harpocration, β' ἀναγράφουσιν, ait, Εὐήνους ἐλεγείων ποιητὰς ὁμωνύμους ἀλλήλοις, καθάπερ Ἐρατοσθένης ἐν τῷ περὶ χρονογραφιῶν, ἀμφοτέρους λέγων Παρίους εἶναι· γνωρίζεσθαι δέ φησι τὸν νεώτερον μόνον. Ex quo efficitur, ut hoc in opere Eratosthenes non solum rerum gestarum, verum etiam hominum litteratorum mentionem iniecerit eorumque tempora, si quid esset dubii, constituerit. Itaque consentaneum est, hinc deprompta esse, quae huius generis libro non nominato ex Eratosthene afferunt Plutarch. vit. Lycurg. c. 1, Clem. Alex. strom. I. p. 141. 145. ed. Sylb., Diog. Laert. I. 11, 119, Tatian. or. ad Gr. p. 106, Syncell. p. 180, Censorin. d. die nat. c. 21, auct. vit. Eurip. post Bacchas Elmsleii, Soran. vit. Hippocr. ap. Fabric. bibl. gr. t. XII. p. 675. ed. pr., quos omnes laudat *Bernhardy*. Nec prorsus incredibile est, eodem ex libro sua Plutarchum de morte Demosthenis hausisse. At alterius Plutarchi loci cap. 9. longe alia ratio est, eumque ex opere chronographico depromptum esse perinde nego atque reliquos quos ex Plutarcho vir

illustris excitavit, vit. Alex. c. 3. 31, Morall. p. 329, quibus accedit locus Arriani in Exp. Alex. V. 3, 1. Hi omnes ad historiam Alexandri pertinent itaque comparati sunt, ut haud absurde quidam, quanquam mihi quoque non persuaserunt, de singulari vita Alexandri ab Eratosthene scripta cogitarint [44]). Iam *Bernhardy* ut haec omnia operis chronographici fragmenta esse evincat, ad Apollodorum p. 244. provocat, qui geographica historiis ex genere litterato coniuncta proponens satis commonefaciat, chronographias Eratosthenis et rerum publicarum fata et doctrinarum artiumque origines ac progressus per illustrissimos scriptores designantes memoriae consecravisse. Quam argumentationem fateor non assequor; petit enim quod neque ex Apollodori exemplo sponte consequitur, neque ex natura atque indole operis chronographici colligi potest. Apollodorus enim grammaticus quomodo res in libro *χρονικὰ* inscripto et iambis scripto tractaverit, satis apparet ex fragmentis [45]); simul ipse fortasse pariter atque Eratosthenes in fontibus vitae Demosthenicae habendus, non tam propterea quod de Aristotele disserens Demosthenis quoque mentionem fecit [46]), quam quod, uti de aliis multis, ita de Demosthene etiam suo loco exposuisse putandus est. Sed ut vera sit ista argumentatio, quis quaeso in tali opere scripta esse credat, qualia leguntur apud Plut. vit. Alex. c. 31., *Ἀλέξανδρος δὲ τὴν ἐντὸς τοῦ Εὐφράτου πᾶσαν ὑφ᾽ ἑαυτῷ ποιησάμενος ἤλαυνεν ἐπὶ Δαρεῖον. ἑκατὸν μυριάσι στρατοῦ καταβαίνοντα. καί τις αὐτῷ φράζει τῶν ἑταίρων, ὡς δὴ γέλωτος ἄξιον*

---

44) Schmieder praef. ad ed. Arrian. p. 33. Ste Croix exam. crit. p: 52.

45) Apud Diog. Laert. VIII. 2, 52. Cf. V. 1, 9 sq. 10, 14 sq. aliosque multos locos ab editoribus Diogenis indicatos, in quibus tantum non omnibus de aetate virorum commemoratorum agitur.

46) Diog. Laert. V. 1, 10. Cf. A. Stahr Aristotelia t. I. p. 29 sqq., quem locum puto Rankium in mente habuisse, cum in Encycl. l. l. p. 55, 41. laudabat Apollonium.

πρᾶγμα, τοὺς ἀκολούθους παίζοντας εἰς δύο μέρη διῃρηκέναι σφᾶς αὐτούς, ὧν ἑκατέρου στρατηγὸν εἶναι καὶ ἡγεμόνα, τὸν μὲν Ἀλέξανδρον, τὸν δὲ Δαρεῖον ὑπ' αὐτῶν προσαγορευόμενον, ἀρξαμένους δὲ βώλοις ἀκροβολίζεσθαι πρὸς ἀλλήλους, εἶτα πυγμαῖς τέλος ἐκκεκαῦσθαι τῇ φιλονεικίᾳ καὶ μέχρι λίθων καὶ ξύλων πολλοὺς δυσκαταπαύστους γεγονότας. ταῦτ' ἀκούσας ἐκέλευσεν αὐτοὺς μονομαχῆσαι τοὺς ἡγεμόνας καὶ τὸν μὲν Ἀλέξανδρον αὐτὸς ὥπλισε, τὸν δὲ Δαρεῖον Φιλώτας. ἐθεᾶτο δὲ ὁ στρατὸς ἐν οἰωνῷ τινι τοῦ μέλλοντος τιθέμενος τὸ γιγνόμενον. ἰσχυρᾶς δὲ τῆς μάχης γενομένης ἐνίκησεν ὁ καλούμενος Ἀλέξανδρος καὶ δωρεὰν ἔλαβε δώδεκα κώμας καὶ στολῇ Περσικῇ χρῆσθαι. ταῦτα μὲν οὖν Ἐρατοσθένης ἱστόρηκε. Scilicet in his nihil quicquam inest ad tempus rerum gestarum definiendum sive ad fata rerum publicarum et doctrinarum artiumque origines ac progressus describendos. Sunt autem haec tam singularia, ut ne in communi quidem historia, qualem scripsit Diodorus Siculus, locum habuerint, nedum in libro chronographico, quod in numeris potius ac nominibus quam in minutiis fabularum versari solet. Quare aut ex historia Alexandri, qui, ut ex libro Plutarcheo apparet, talibus rebus aptus locus erat, aut ex alio quopiam Eratosthenis libro petita sunt. Atqui historiam Alexandri Eratosthenem scripsisse idoneis argumentis probari nequit. Restat ut ex alio quopiam librorum Eratosthenicorum petita sint. Quis autem fuerit hic liber vel potius hi libri — nam ex pluribus excerpta illa esse posse nemo negaverit, — difficile dictu est, immo certo dici plane nequit, quoniam sine dubio non omnium eius librorum notitia ad nos pervenit. Iam si de re dubia libera est coniectura, putaverim ea quae leguntur apud Arrianum et Plutarchum in Morall. (quanquam hic locus affinis aliquatenus est ei quem supra ex vit. Alex. attuli) locum habuisse in libro geographico, quae apud Plutarchum in vita Alexandri in philosophico, et haec quidem tanquam exempla ad illustrandas sententias morales ab auctore proposita esse. Hunc

enim morem fuisse Eratosthenis, ut multis exemplis ex historia depromptis argumenta sua stabiliret, probatur fragmentis libri *περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν*, quae *Bernhardy* l. l. p. 195 sq. affert ex Harpocr. s. v. *ἁρμοσταί*, Clem. Alex. strom. IV. p. 213, Diog. Laert. VI. 5, 88. IX. 11, 66, Plutarch. vit. Themist. c. 27. Quin immo vix me contineo quin ex eodem libro fluxisse dicam quae habet Plutarchus de morte Demosthenis. Namque Clem. Alex. str. IV. p. 213. (coll. Theodoret. therap. 8. t. IV. p. 919.) haec habet: *ἐπεὶ οὐ μόνον Αἰσώπιοι καὶ Μακεδόνες καὶ Λάκωνες στρεβλούμενοι ἐκαρτέρουν, ὥς φησιν Ἐρατοσθένης ἐν τοῖς περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν, ἀλλὰ καὶ Ζήνων δ' Ἐλεάτης ἀναγκαζόμενος κατειπεῖν τι τῶν ἀποῤῥήτων ἀντέσχεν πρὸς τοὺς βασάνους οὐδὲν ἐξομολογούμενος, ὅς γε καὶ τελευτῶν τὴν γλῶσσαν ἐκτρώγων προσέπτυσε τῷ τυράννῳ.* Quis est cui haec non Hyperidem eadem in se ipsum saevitia crudelitatem tyranni eludentem in mentem revocent? Itaque non absurdum est suspicari, Eratosthenem ibidem de Hyperidis quoque atque de aliorum virorum, in quibus etiam Demosthenes, tristi ac forti obitu egisse atque hinc Plutarchum quod tradit de Hyperide in vitt. dec. oratt. p. 849. et de Demosthene vit. c. 30. et vitt. dec. oratt. p. 847. B. deprompsisse. Alteri dicto Eratosthenis apud Plut. vit. c. 9, quod multo magis abhorret ab opere chronographico (quantum enim volumen ei conscribendum fuisset, si eo usque in solo Demosthene progredi voluisset), locum idoneum non reperio praeter librum *περὶ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας*, opus satis amplum materiaeque varietate insigne [47]), in quo eum praeter alia saepe numero verba comicorum poetarum rariora horridioraque explicanda sibi sumpsisset, facile concesseris fieri potuisse, ut incideret in Demosthenem interdum prope ad bacchicum furorum accedentem inque verba erumpentem poeta magis furibundo quam prudenti oratore digna, qualia fere De-

47) Vid. fragm. apud Bernhardy l. l. p. 203 sqq.

mostheni exprobrat Aeschines in orat. adv. Ctesiph. §. 166.

Iam ad vitarum scriptores ventum est, quorum alii Demosthenem data occasione in transcursu quasi tetigerunt, alii hoc argumentum singularibus libris tractaverunt. Atque primo loco ponamus, quoniam vulgo in prioribus habetur, licet, ut mox videbimus, hinc iterum eximendum, Idomeneum Lampsacenum, amicum Epicuri, de quo nuperrime copiose atque accurate commentati sunt *Car. Sintenis* [48]) et *A. G. Beckerus* [49]). Dixisse illum de Demosthene in libro περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν affirmat *Jonsius* [50]), quem plurimi sequuti sunt. Ac per se quidem haud est inepta haec opinio, immo magis etiam eo commendatur, quod fragmenta supersunt in quibus agitur de multis viris iisque praeclarissimis, ut de Pisistratidis [51]), Aristide [52]), Themistocle [53]), Pericle [54]), Thucydide Melesiae f. [55]), Phocione [56]), Hyperide [57]), Aeschine [58]), Demosthene, praeterque eum alii quoque libros sic inscriptos ediderunt [59]). At nullus extat locus ubi hic libri ab Idomeneo scripti titulus laudetur. Itaque *Sintenis* his omnibus fragmentis librum nullum idoneum esse credidit nisi eum quem

48) Excurs. V. ad ed. Plut. vit. Pericl. p. 318 sqq.

49) Analekt. z. d. att. Redn. fasc. I. p. 24 sqq.

50) Script. hist. philos. II. 1. p. 118.

51) Athen. XII. p. 532. F.

52) Plut. vit. Arist. c. 1. 4. 10.

53) Athen. XIII. p. 576. C.

54) Plut. vit. Pericl. c. 10.

55) Schol. Aristoph. vesp. v. 982 (941).

56) Plut. vit. Phoc. c. 4.

57) Athen. XIII. p. 590. C. cf. Plut. vitt. dec. oratt. p. 849. D.

58) Schol. ad Apollon. vit. Aesch. p. 247. Bk.

59) Ut Amphicrates. Vid. Athen. XIII. p. 576. Sed hoc ipso loco, ubi Amphicrates cum Idomeneo coniungitur, Jonsius fortasse, ut iam auguratus est SINTENIS l. l. p. 316, errore quodam adductus est, ut Idomeneum librum περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν scripsisse affirmaret.

inscripsit auctor περὶ Σωκρατικῶν. Quam sententiam licet eo egregie confirmaverit, quod librorum eius nullus commemoretur, in quo ista locum habere potuissent [60], et quod huius aetatis scriptores sic instituere essent soliti, ut non in certis finibus sese continerent, sed prout libido ferret in alia omnia evagarentur: minime tamen res libera est ab omni dubitatione. Quis enim dicat, nihil praeter istos libros Idomeneum scripti reliquisse? Quis neget fieri potuisse, ut eius ipsius libri, ex quo fragmenta ista petita sunt, inscriptio plane evanesceret, cum ii qui testem Idomeneum excitarent eam adnotare neglexissent? Praeterea ipsorum quoque illorum virorum commemoratio in libro de Socraticis habet quo offendat, si spectas res quae ex eorum historia memoriae traduntur. Scilicet in plurimis agitur de virorum praeclarorum luxurie atque libidinibus. Itaque ingeniosa est *Luzacii* coniectura [61], quam nuperrime probavit *C. F. Hermannus* [62], Idomeneum pariter ut Aristippum, quem περὶ παλαιᾶς τρυφῆς librum composuisse constet [63], librum similis argumenti conscripsisse, cuius fortasse titulus fuisset περὶ τῆς τῶν ἐνδόξων τρυφῆς. Quidam sane restant loci, qui ab hoc argumento alieni esse videntur; hos tamen, quoniam ex alio quopiam ignotae item inscriptionis libro eos repetere nimiae esset audaciae, non ab omni parte cum isto argumento discrepare facile concesseris, modo voc. τρυφῆς paullo ampliore sensu accipias quam quo Aristippum accepisse colligat aliquis ex eius fragmentis, quae omnia versan-

---

60) Commemoratur praeterea a Suida ἱστορία (τῶν) κατὰ Σαμοθρᾴκην, et a Schol. Apollon. Rhod. I. 916. Τρωικά, quanquam hoc quoque SINTENISIO per errorem ex Σαμοθρᾳκικά exortum esse videtur.

61) Lectt. Att. d. digam. Socr. §. 3. p. 113.

62) Ind. lectt. Marburg. sem. aest. a. 1836, in quo agitur egregie de fontt. vit. Pericl. Plutarchi, p. VII.

63) Vid. Diog. Laert. I. 7, 96. II. 5, 23. 6, 48. III. 29. IV. 3, 19. V. 1, 3. 2, 39.

tur in amoribus. Deinde recordare, haec esse fragmenta ex narrationis tenore evulsa misereque plerumque decurtata, ita ut quem ea locum in toto operis ambitu et quasi corpore habuerint, quomodo cum reliquis apta et nexa, quod scriptoris consilium fuerit divinando tantum possis assequi. Huius generis sunt loci qui ad Aristidem pertinent apud Plutarch. vit. Arist. c. 1. *καὶ μὴν ἄρξαι γε τὸν Ἀριστείδην ὁ Ἰδομενεὺς οὐ κυαμευτὸν, ἀλλ' ἑλομένων Ἀθηναίων φησίν.* Hic, ut concedam absurdum esse, cogitare de obscoenitate fabali [64]), fortasse Idomeneus, qua erat erga alios malignitate, crimen largitionis in Aristidem coniecit, quo remota sortitione ad illud munus pervenisset. Eadem est ratio alterius loci cap. 4. *δι' ὃ καὶ συναγαγὼν (ὁ Θεμιστοκλῆς) πολλοὺς ἐπὶ τὸν Ἀριστείδην ἐν ταῖς εὐθύναις διώκων κλοπῆς καταδίκῃ περιέβαλεν, ὥς φησιν Ἰδομενεύς.* Tertius locus, qui legitur ibid. c. 10. nulla eget explicatione. Difficiliores aliquanto ad explicandum sunt loci qui sequuntur: unus in vit. Pericl. c. 35, ubi, postquam expositum est quo modo Pericles a plebe irata ob belli molestias frustra susceptas oppressus ingentique pecunia mulctatus sit (*ὧν ἀριθμὸν οἱ τὸν ἐλάχιστον πεντεκαίδεκα, πεντήκοντα δ' οἱ τὸν πλεῖστον γράφουσιν*), additur: *ἐπεγράφη δὲ τῇ δίκῃ κατήγορος, ὡς μὲν Ἰδομενεὺς λέγει, Κλέων, κτλ.*, quae, nisi fallor, sic expediri possunt, ut Plutarchus ex verbis Idomenei id tantum, quod ad suam rem aliquid conferret, nomen Cleonis desumpserit, ille vero alia omnia egerit, fortasse ex ipsius mulctae summa de huius aetate luxurie coniecturam fecerit. Supersunt duo loci ex Plutarch. vit. Dem. c. 15, ubi agitur de orationibus Demosthenis et Aeschinis de male gesta legatione dictis an scriptis modo, et c. 23. de numero eorum quos post eversas Thebas Alexander ab Atheniensibus tradi sibi iussit. Haec quoque in transcursu ab auctore tractata esse in alia-

64) Vid. Aristot. ap. Diog. Laert. VIII. 1, 34.

rum rerum enarratione, velut profusarum sive a Philippo in proditores pecuniarum sive ab Aeschine ad damnationem in actione de male gesta legatione avertendam (quo cum loco coniungendus est alius ab rerum Idomenei enarratoribus omissus, quem indicavi supra annot. 58.), tum a Demosthenis amicis in Demadem ad liberandum oratorem a periculo imminente (coll. Diod. Sic. XVII. 15.), non abhorret ab omni verisimilitudine. Iam si in haec fragmenta accuratius inquisiveris, iure meritoque dicas Idomeneum non eo fuisse instructum ingenio eoque veritatis amore atque studio, quo reliquis excellere debet cui historiam scribere propositum est. Eoque modo iam veteres iudicasse docet Plutarchus, qui cum aliis locis ab eius opinione multum recedit, tum in vit. Dem. c. 23. eum cum Duride componit atque ex numero eorum eximit qui sibi sunt *δοκιμώτατοι τῶν συγγραφέων*. Itaque sublestae fidei sunt quae ex Idomeneo de Demosthene passim afferuntur, quo praeter Plutarchea pertinet etiam quod habet Athen. XIII. p. 592 F. de Demosthenis ad amores proclivitate.

Iam ad eos nos convertamus quos accuratius aliquanto de vita Demosthenis egisse accepimus. Ac statim in principio ponendi sunt nonnulli ex peripateticis, ex quorum disciplina ingens vitarum scriptorum copia prodiit [65]. Exordiamur a S a t y r o, de quo quod sciam solus *Ger. Jo. Vossius* [66]) accurate exposuit. Hunc potius dixeris *περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν* scripsisse; namque secundum Hieronym. lib. II. ad Iovinian. illustrium virorum scripsit historias; quanquam illae constanter sub titulo *βίοι* laudantur. E quibus quae a Diogene Laertio maxime atque ab Athenaeo afferuntur partim ad philosophos partim ad reges et imperatores praecla-

---

65) Vid. A. Lozynski Hermippi fragm. p. 26 sqq.

66) De hist. graec. III. p. 410 sq. Nonnulla affert Clinton fast. hellen. t. III. p. 526.

ros pertinent [67]). Videntur autem eodem fere modo quo quas Diogenes reliquit vitae compositae fuisse, ita ut in libros divisae essent eorumque unus quisque plures vitas contineret [68]). Epitomen huius operis fecit Heraclides [69]), quem Calatianum sive Alexandrinum cognomine Lembi [70]) fuisse eo credibile fit, quod idem aliud quoque similis argumenti opus in breviores commentarios contraxit [71]). Hinc Satyri aetas facile eruitur; quippe Heraclides teste Suida vixit tempore Ptolemaei sexti, Philometoris, qui imperare coepit Ol. CL, 1, desiit vero Ol. CLVIII, 3. Ante hunc igitur Satyrus vixerit necesse est. Post Ptolemaeum Philopatorem autem vixisse eum apparet, si idem est Satyrus de quo Theophilus ad Autolyc. lib. II. ἱστορῶν τοὺς δήμους Ἀλεξανδρέων ἀρξάμενος ἀπὸ Φιλοπάτορος τοῦ καὶ Πτολεμαίου προσαγορευθέντος. Verum longius progredimur asseveramusque Satyrum scripsisse sub initium regni Ptolemaei Philometoris. Nam secundum Photium in bibl. cod. CXC. p. 151. B. Bk. Σάτυρος ὁ Ἀριστάρχου γνώριμος ζῆτα ἐκαλεῖτο διὰ τὸ ζητητικόν. Aristarchum autem Suidas Ol. CLV. sub eodem Ptolemaeo Philometore floruisse tradit. Sequitur ut aequalis Satyri fuerit Heraclides eiusque vitas virorum illustrium brevi

67) Scripsit, ut videtur, vitas Biantis, Diog. Laert. I. 5, 82, Pythagorae Id. VIII. 1, 40, Empedoclis Id. VIII. 2, 53. 59. 60, Anaxagorae Id. II. 3, 12, Socratis Id. II. 5, 26, Platonis Id. III. 11, 9, Stilponis Athen. XIII. p. 584. A, Diogenis Diog. Laert. VI. 2, 80, Zenonis Id. IX. 5, 26; tum Lycurgi Id. I. 3, 68, Alcibiadis Athen. XII. p. 534. B, Dionysii iunioris Id. XII. p. 541. C, Philippi Id. VI. p. 248. D. F. XIII. p. 557, Alexandri Id. VI. p. 250. F.

68) Diog. Laert. VI. 2, 80. Σάτυρος ἐν τῷ τετάρτῳ τῶν βίων. Non obstat, quod apud Athenaeum vita Philippi tanquam liber singularis laudatur.

69) Diog. Laert. VIII. 1, 40. IX. 5, 26.

70) Diog. Laert. V. 6, 94. Suid. s. v. Ἡρακλ.

71) Sotionis διαδοχὰς φιλοσόφων a Diogene saepe numero laudatas. Idem affert ἐπιτομὴν τῶν τοῦ Σωτίωνος V. 5, 79. X. 1, 1. Cf. Voss d. hist. gr. I. 20. p. 127 sq.

post quam scriptae erant, fortasse sub finem regni Philometoris, in epitomen contraxerit [72]). Plutarcho libros Satyri non ignotos fuisse testatur locus in vitt. dec. oratt. p. 847. A, quanquam sunt paucissima quae hinc de exitu Demosthenis enotavit. Hoc ex loco conclusit *Vossius* l. l., Satyrum Demosthenis quoque vitam conscripsisse; id quod ego quidem nec prorsus negare nec confidenter affirmare ausim.

Accedat ad eum Hermippus Smyrnaeus, item peripateticus, qui vixit fere Ol. CXXX—CXLVIII. De huius vita, rebus, fragmentis nuper tam accurate disputavit *Adalb. Lozynski* [73]), ut mihi quidem quae addam perpauca reliqua sint. Scripsit Hermippus vitas multorum virorum eruditione clarorum, quas omnes, ut videtur, licet vulgo tantum *βίοι* laudentur, communi titulo *περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ λαμψάντων* insignivit, si fides est habenda Etymol. M. s. v. *Ἀπάμεια*; id quod probatur quodam modo verbis Hieronymi in praef. d. scriptor. eccles. c. 1. Has autem vitas pro argumenti affinitate rursus in singula corpuscula ad instar librorum coniunxisse putandus est, itaque factum est, ut tanquam libri singulares laudentur passim ab antiquis scriptoribus capita *περὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν*, *περὶ τῶν νομοθετῶν*, *περὶ τῶν διαπρεψάντων ἐν παιδείᾳ δούλων*, *περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν*. Verum haud liberum illud est ab omni dubitatione. Scilicet his ita dispositis haud paucae restant vitae, quae nullo communi titulo ac vinculo coniunctae, sed tanquam solitariae ab omni communione cum reliquis exemptae atque exclusae esse videntur. Sed hoc admitti non potuisse, si statim ab initio auctor totum operis condendi tanquam unius atque totius corporis futuri argumentum, ambitum ac rationem construxit et sibi praescripsit, confidenter asse-

---

72) Cf. Clinton fast. hellen. t. III. p. 89. ad a. 160.

73) Hermippi Smyrnaei peripatetici fragmenta collecta, disposita et illustrata, Bonn. 1832. 8. Cf. Clinton l. l. p. 518 sq

veres, ex contrario contendas, tum vitas omnes pariter inter se communibus quibusdam vinculis circumscribendas fuisse. Hoc cum sentiret *Patricius*, haud absurde vitis illis solitariis, quae ad philosophos maxime pertinent, in unum coniunctis singularem titulum περὶ τῶν σοφῶν imponi voluit [74]; quanquam ille quidem titulus, errore natus ex Diog. Laert. I. 1, 42, nullo testimonio confirmatus est. Itaque non repugnarem, si quis contenderet, Hermippum vitas illas non artificiose in unum corpus coniunctas, sed singulatim scriptas diversis temporibus, prout occasio ferret ac libido, edidisse, post autem propter argumenti similitudinem omnes in unum conflatas et communi titulo insignitas esse. Certe qui perseverat in priore opinione, ei ponendum est, solitarias quoque quas vocavimus vitas communes quosdam titulos habuisse, quos quidem ignoramus, perire tamen cum aliis potuisse minime negamus. Valet hoc, ut reliqua nunc mittamus, etiam de eo capite sive libro, in quo Hermippus de oratoribus egit. Namque non omnia huius argumenti ad Isocratis discipulos referri posse docet commentatio περὶ Γοργίου ab Athen. XI. p. 505. D. laudata [75]), aliaque περὶ Ἰσοκράτους, ex qua fragmenta habet Athen. XIII. p. 592. D. et Auct. arg. orat. Isocrat. ad Philipp. p. 90. ed. Bekk. Iam vero in libro περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν, ex quo libro propter argumenti ubertatem amplissimo [76]) perpaucae reliquiae supersunt [77]), de Demosthene quoque actum esse vulgaris est hominum doctorum sententia. At liceat hoc in dubium vocare, donec quibus demonstretur argu-

---

74) Discuss. peripat. t. I. lib. 3. p. 20.

75) Quanquam illa etiam ad vitas philosophorum referri potest.

76) Isocratis discipulos ad centum excrevisse dicit Plutarch. vitt. dec. oratt. p. 837. C. Potiores nominavi in hist. eloqu. t. I. §. 50.

77) De Isaeo ex libro II. ap. Harp. s. v. Ἰσαῖος, Dionys. Halic. Is. c. 1, de Hyperide ex libro III. ap. Athen. VIII. p. 342. C, coll. Plut. vitt. dec. oratt. p. 848. D. p. 849. B, de Theodecte Athen. X. p. 451. E.

menta afferentur. Ubivis enim Hermippi de Demosthene testis excitati simpliciter nomen tantum laudatur, nunquam titulus libri de Isocratis discipulis adscribitur. Immo Harpocrat. s. v. Ἰσαῖος, μαθητὴς ἦν Ἰσοκράτους, διδάσκαλος δὲ Δημοσθένους, Ἀθηναῖος τὸ γένος, καθά φησιν Ἕρμιππος ἐν δευτέρῳ περὶ Ἰσοκράτους μαθητῶν. Ergo ex ipsius Hermippi sententia Demosthenes non erat discipulus Isocratis, quam item expressit alio loco a Plutarcho in vit. Dem. c. 5. servato [78]. Contra *Lozynskius* l. l. p. 42 sq. loco Ciceronis d. or. II. 22 sq. abusus voc. μαθητής latiore sensu intelligit atque *Ruhnkenium* sequutus, qui in hist. crit. oratt. graec. prope omnium oratorum praeceptorem fuisse Isocratem contenderat, in illo libro Hermippum non solum de Lycurgo atque Hyperide, qui veri erant discipuli Isocratis, verum etiam de Demosthene, Aeschine, Dinarcho, aliis compluribus egisse affirmat. Quod quo iure fecerit, viderit ipse. Mihi certe voc. μαθητής nullo alio sensu accipi posse videtur quam qui inest, ut sit qui aliquem docentem ipsum audiat. Non mirum autem, *Lozynskium*, qui in disputatione de libris Hermippi ad oratores pertinentibus non ea qua solet diligentia versatur, sed eo progreditur audaciae, ut librum de discipulis Isocratis Thucydidis vitam continuisse credat [79], in ordinandis etiam investigandisque fragmentis huius libri aliquantum a veritate aberrare.

78) Hanc ipsam quaestionem subdifficilem nunc pertractare non est in animo. Quaedam attuli in harum quaestt. Part. III. p. 7. Sed res digna est quae accuratius tandem aliquando pervestigetur, ut intelligatur, quatenus pependerit ab Isocrate Demosthenes, quod ipsum prorsus negare vetant loci in quibus ad verbum pene uterque concinit, ut Isocr. d. pac. §. 1. et Dem. c. Timocr. p. 701. §. 4. Alia quaedam hoc genus attulit J. G. Pfund d. Isocr. vit. et scr. (Berol. 1833. 4.) p. 23. Plura praebebit V. D. quem scio huic rei proxime operam daturum esse.

79) Vid. p. 45. et 123 sq. ex Marcellin. vit. Thucyd. t. I. p. 319. ed. Popp.

Scilicet ipso libro nominato habemus tantum ea quae supra annot. 77. adscripsi. *Lozynskius* praeter Demosthenica addit p. 119. quae de Aesione habet Plut. vit. Dem. c. 11; quae locum habere possunt in Demosthenicis, p. 121. quae Athen. XIII. p. 590. D. et Harpocr. s. v. *Εὐθίας* de Euthia, quibus aptior locus fuerit in Hyperideis, p. 122. quae Athen. I. p. 21. C. de Theocrito Chio, quem Isocraticum fuisse testetur Suidas s. v. *Θεόκριτος, Χῖος, ῥήτωρ, μαθητὴς Μητροδώρου τοῦ Ἰσοκρατικοῦ*, quae rectius ad Theopompea referas [80]), denique p. 123. quae Plut. vit. Dem. c. 28. de Archia, ex Anaximeneis potius fortasse sive ex Demosthenicis sive ex Lacriteis desumpta. Hinc apparet, quae hoc ex libro supersunt in arctiores fines coercenda esse pluraque relinquenda ceteris de oratoribus commentariis, in quibus, nisi me mea fallit opinio, erant vitae Gorgiae, Thucydidis [81]), Isocratis, Anaximenis, Aeschinis [82]), aliorum in quibus etiam Demosthenes. Ac de Demosthene quidem singularia quaedam, quae desiderium totius libri faciunt, servata sunt a Plut. vit. Dem. c. 5. et 30, Gell. N. A. III. 13. (coll. Plut. Dem. c. 5.), Suid. s. v. *Δημοσθένης*. E quibus singularia dico Plutarchea propter fontes e quibus promanarunt (altero loco ex Ctesibio, de quo supra dictum est, altero ex Pappo aliquo alioquin ignoto), singulare Gellianum [83]) propter

---

80) Vid. Strab. XIV. p. 645.

81) Thucydides a quibusdam certe habitus est orator. Sed non debebat LOZYNSKI 45, 93. afferre locum Cic. d. or. II. 22, quem ipse corrumpit, cum adscribit verba *oratores graeci*, quae in libris quod sciam non leguntur. Vide contra Cic. or. 9, d. opt. gen. orat. 5. Itaque non repugnabo, si quis vitam Thucydidis ex oratoriis exemerit et novam classem, quae tamen prorsus evanuit, historicorum constituerit.

82) Effugit LOZYNSKIUM locus Schol. ad Apollon. vit. Aesch. p. 247. Bkk., quem olim iam post BROOKIUM ex cod. Bernardino primum vulgavit REISKIUS in orr. gr. t. III. p. 749 sq.

83) De ipsa re quid sentirem proposui in harum quaestt. P. III. p. 6, 13.

credulitatem sive potius studium philosophorum illius temporis, res gestas omnes inter se artificiose connectendi atque explicandi, quo fieri non potuit quin veritas corrumperetur, historia mendosa evaderet. Hic fons est multarum fabularum in historiam illatarum, non minor ille atque purior reliquis duobus, uno quem olim iam cupiditas oratorum, altero quem postea ineptia rhetorum aperuit. Itaque Hermippus, licet recte defensus a *Lozynskio* adversus convicia quae certatim in eum congerunt *Meinersius* atque *Luzacius* [84]), minime tamen in eis numerandus quibus, nisi aliunde quid accedat auctoritatis atque commendationis, fides protinus habenda sit.

Transeo ad Demetrium Magnetem, Ciceronis aequalem [85]), auctorem libri περὶ τῶν ὁμωνύμων, sive, accuratius περὶ τῶν ὁμωνύμων ποιητῶν τε καὶ συγγραφέων [86]), ex quo exemplum praebet Dionys. Halic. Dinarch. c. 1, singulaque imprimis affert Diogenes Laertius [87]). Sermonem ibi fecit etiam de Demosthene, cuius nominis plures antiquitas protulit viros laude dignos [88]). Hinc Plutarchus sine dubio deprompsit quod

---

84) Vid. Lozynski l. l. p. 58 sqq.

85) Cic. Epp. ad Att. IV. 11. VIII. 11. ubi qui memoratur Demetrii liber περὶ ὁμονοίας recte iam a Vossio d. hist. gr. I. p. 149 sq. a mutatione in περὶ ὁμωνύμων defensus est.

86) Diog. Laert. V. 1, 3. Harpocr. s. v. Ἰσαῖος laudat Δ. ἐν τοῖς περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν.

87) Vide quae tradit de Thalete I. 1, 38, de Pittaco I. 4, 79, de Epimenide I. 10, 112, de Aristotele V. 1, 3, de Demetrio V. 5, 75, de Heraclide V. 6, 89, de Diogene VI. 2, 79, de Cratete VI. 5, 88, de Zenone Cittieo VI. 1, 31, de Cleanthe VII. 5, 169, de Chrysippo VII. 7, 185, de Hippaso VIII. 6, 84, de Philolao VIII. 7, 85, de Heraclito IX. 1, 15, de Zenone Eleate IX. 5, 27, de Democrito IX. 7, 35. 36, et non nominato libro de Xenophonte II. 6, 52. 56. 57, de Onesicrito VI. 4, 84, de Epicuro X. 13. Adde de Theotimo Athen. XIII. p. 611. B, de Isaeo Harpocr. s. v. Ἰσαῖος.

88) Veluti; 1. *Demosthenem imperatorem*, bello Peloponnesiaco in Sicilia interfectum, 2. *Demosthenem*, oratoris patrem. His non

habet de dicto aliquo Demosthenis ab exilio redeuntis in vit. Dem. c. 27, fortasse etiam quae sub Demetrii cuiusdam nomine de praeceptore Archiae ibid. c. 28, item c. 30. de disticho in Demosthenem scripto, uti docet Id. in vitt. dec. oratt. p. 846. extr. Ibid. p. 844. B, ubi sermo est de Callistrato Demosthenem iuvenem exemplo suo ad studium eloquentiae inflammente, Demetrium Magnetem pro Hegesia Magnete restituendum esse iam dudum monuit *Ruhnken.* in annot. ad Rutil. Lup. d. fig. I. 7. p. 27. Aliter quam reliqui omnes iudico de loco Plut. in vit. Dem. c. 15. *οὐ μὴν ἔγημεν ταύτην (τὴν μητέρα τοῦ Κτησίππου), ἀλλὰ Σαμίᾳ τινὶ συνῴκησεν, ὡς ἱστορεῖ Δημήτριος ὁ Μάγνης ἐν τοῖς περὶ συνωνύμων.* Sic in omnibus ibi, quod sciam, libris manu scriptis legitur; verum recentiores editores, in quibus [illegible]

possum facere quin addam reliquos huius nominis iam a FABRICIO in bibl. gr. ed. Harl. t. II. p. 850. nominatos. Post oratorem quartus est *Demosthenes Philalethes*, medicus ocularis, tempore Vespasiani, de quo nunc vid. C. G. KÜHN addit. ad Fabric. elench. medicor. P. VI—XII. Lips. 1826. sq. 4. et C. SPRENGEL Gesch. d. Arzneik. t. I. p. 563. sq. 5. *Demosthenes Massiliensis*, iunior, item medicus ocularis, de quo vid. SPRENGEL l. l. p. 564. 6. *Demosthenes Bithynus*, auctor *Βιθυνιακῶν*, quae laudat Suidas et Stephan. Byzant. s. vv. *Ἀλεξάνδρεια, Ἀρτάκη, Ἡραία, Μαυσωλός*; et *κτίσεων* laud. ibid. s. v. *Ὀλζων*. 7. *Demosthenes Thrax*, grammaticus, saepe ut fertur laudatus ab Eustathio, cuius autem in indice Devariano nusquam comparet. Hunc significari puto ab Joann. Siceliota schol. in Hermog. Rhett. ed. Walz. t. VI. p. 118. Cf. KRAFT ad Epp. Ruhnken. p. 139. 8. *Demosthenes Mytilenaeus*, Plut. sympos. II. 1, 8. 9. *Demosthenes Alciphronis f.*, Themist. or. X. p. 138. 10. *Demosthenes ἐπὶ τῶν ὄψων τεταγμένος* sub Valente, Gregor. Nyssen. lib. 1. t. 2. p. 314. 11. *Demosthenes* ad quem Basilii Magni epistola 385, vicarius Cappadociae, TILLEMONT t. 6. Memor. p. 598 sqq. 12. *Demosthenes* praefectus praetorio sub Iustino imperatore, v. ALEMAN. ad Procop. p. 117. 134. Addo 13. *Demosthenem Ictum* ex Basilic. l. VIII. tit. 2. p. 403. 405. lib. XI. tit. 2. p. 692. ed. Heimbach. Denique *Δημοσθένης ὁ μικρός*, e cuius orationibus reliquiae servatae sunt ap. Bekker. Anecd. graec. t. I. p. 135. 140. 168. 170. 172; hunc memini a viro quodam docto pro Libanio haberi; sed huius in orationibus fragmenta ista hucusque frustra quaesivi.

Koraes et *Schaeferus*, moniti a *Casaubono* ad Diog. Laert. I. 1, 38. ὁμωνύμων pro συνωνύμων restituerunt. Quae quanquam speciosa tamen minime necessaria est coniectura. Scilicet Demetrius praeter librum περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν τε καὶ συγγραφέων alium scripsit, cuius titulus erat συνώνυμοι πόλεις sive περὶ συνωνύμων πόλεων. Laudat Harpocr. s. v. Μεθώνη: — Δημήτριος δ' ὁ Μάγνης ἐν ταῖς συνωνύμοις πόλεσι τέσσαρας εἶναί φησι Μεθώνας, et Stephan. Byzant. s. v. Ἀλαβών, non nominato libro ut videtur. Idem s. vv. Ἀγβάτανα, Ἀκτή, et Harp. s. vv. Ἀκή, Λευκὴ Ἀκτή. Hinc fluxisse quae modo ex Plutarcho attuli haud vana est suspicio; quippe poterat Demetrius uxoris Demosthenis, quae erat Σαμία, mentionem facere sub voce Σάμος, cuius nominis plures erant urbes [89]), praesertim cum gentile ab hac et a similibus nominibus derivatum admodum fluctuaret [90]). Ipsius autem Demetrii maius res scitu dignas undecunque congerendi studium quam ingenium fuisse ac iudicium, docent et quae Diogenes Laertius excerpsit et Dionysius Halicarnassensis, qui in Dinarch. c. 1. haec habet: ἀλλὰ Δημήτριος ὁ Μάγνης, ὃς ἔδοξε γενέσθαι πολυίστωρ, ἐν τῇ περὶ τῶν ὁμωνύμων πραγματείᾳ λέγων καὶ περὶ τούτου τοῦ ἀνδρὸς καὶ ὑπόληψιν παρασχὼν ὡς περὶ αὐτοῦ λέξων τι ἀκριβές, διεψεύσθη τῆς δόξης —, et Plutarchus, qui alio loco eum pro duce quasi ineptientium habet, alio (vitt. dec. oratt. p. 844. B.) affert ex eius libro quod vel mediocriter historiae peritus pro turpi errore habendum esse statim intelligat. Nihilo minus velles hoc opus superesset; multa enim non de Demosthene solum, sed de omnibus fere praeclaris an-

89) In insula Samo, Strab. XIV. p. 937, Samus Homerica in insula Samo, vel Same, postea Cephallenia dicta, Id. X. p. 453, in Elide, Id. VIII. p. 341, a Pausan. V. 6, 1. Σαμία, a Steph. Byzant. Σαμικόν dicta.

90) Stephan. Byzant. s. v. Σάμος — τὸ ἐθνικὸν Σαμαῖος καὶ Σάμιος καὶ Σαμία καὶ Σαμιακός, ubi tamen aliquid excidisse iam Salmasius animadvertit.

tiquitatis hominibus haud dubie bonae frugis inerant: quae, quoniam ad historiam maximam partem pertinebant, ipsius auctoris quantumvis obtusum ingenium corrumpere non potuit; nec quae falsa, absurda, fabulosa inerant sine fructu etiamnunc legerentur, quia vel quid insaniverint homines scire refert, cognitisque demum ab omni parte ineptiis veritas eruitur.

Non est silentio praetereundus Caecilius Calactinus, rhetor [91]), Dionysii Halicarnassensis aequalis, qui magnam effudit copiam librorum de arte oratoria deque oratoribus Atticis. Laudat Suidas, ut alios omittam, libros *περὶ χαρακτῆρος τῶν δέκα ῥητόρων*, *περὶ Λυσίου σύγγραμμα* (quo usus est Plutarchus in vitt. dec. oratt. p. 836. A, coll. Longin. de subl. c. 32, & Phot. bibl. cod. CCLXII. p. 489. B. ed. Bk.), *περὶ Ἀντιφῶντος σύνταγμα* (coll. Plut. vitt. dec. oratt. p. 832. E. p. 833. C. D. Phot. bibl. cod. CCLIX. p. 485. B.), *τίνι διαφέρει ὁ Ἀττικὸς ζῆλος τοῦ Ἀσιανοῦ*, *περὶ τῶν καθ᾽ ἱστορίαν ἢ παρ᾽ ἱστορίαν εἰρημένων τοῖς ῥήτορσι*, *σύγκρισις Δημοσθένους καὶ Αἰσχίνου* (ex qua fortasse deprompsit quae habet Plut. vit. dec. or. p. 840. B. et Schol. ad Apollon. vit. Aeschin. ap. Bekker. oratt. Att. t. III. p. 247.), *περὶ Δημοσθένους ποῖοι αὐτοῦ γνήσιοι λόγοι καὶ ποῖοι νόθοι* (qui liber quo modo comparatus fuerit coniectura fieri potest ex Dionysii Halic. commentatione de Dinarcho), *σύγκρισις Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος* [92]). Et hunc quidem librum etsi concedimus Plutarcho in vit. Dem. c. 3. imprudenter scriptum temerarioque editionis consilio vulgatum esse, etsi praeterea concedimus, multa Caecilium temere magis et audacter quam moderate considerateque scripsisse, cuiusmodi sunt quae pro-

---

91) Vid. hist. eloqu. t. I. §. 88, 16 sqq. et F. Osann Beitr. z. gr. u. röm. LG. (Darmst. 1835. 8.) t. I. App. 2. p. 295 sqq.

92) Fortasse addendus est liber de Isocrate. Vid. Plut. vitt. dec. oratt. p. 838. D, quae plane eiusdem generis sunt ac reliqua de oratoribus servata ex singulis de eis scriptionibus.

de vita Demosthenis exposuerit, quemadmodum in reliquis de oratoribus libris factum videmus, ita ut, quae desunt nunc in cap. περὶ λεκτ. Δημ. δειν. a principio, huius potissimum argumenti fuisse videantur [97]). Quantam autem hac quoque vita Demosthenis deperdita iacturam fecerimus, divinari potius quam certo dici atque demonstrari potest. Ac non magnam sane expectationem commovent quae de eadem re Dionysius in Epist. ad Ammaeum I. protulit, libello erroribus pleno, quo pertinent quae c. 4. dicta sunt de anno natali Demosthenis [98]), de ordine orationum Olynthiacarum [99]), de tempore quo or. Midiana habita sit [100]), alia iam ab aliis iure meritoque notata [101]). Iam ego quidem non is sum qui talem virum, qualis erat Dionysius, propter errores quosdam in festinando turpiter commissos totum damnem ac repudiem, immo etiamnunc in sententia quam olim tuli de ista ad Ammaeum epistola persevero [102]); verum non eo decet progredi modestiae ac verecundiae, ut dubitemus errores pro erroribus habere et reprehendere quod excusari nullo modo potest. Itaque haud scio an non multum profecerit *Rankius*, qui ex eo aliquam multum excusationis Dionysio petit, quod quae in illa epistola de vita Demosthenis referantur non ipsius studiis ac diligentiae, sed historicorum

97) Vid. BECKER l. l. p. XXXVI sq. qui tamen commodiorem ei locum in altero capite fuisse existimat.

98) Vid. nostr. ed. Plut. vitt. dec. oratt. p. 17 sqq.

99) Post meam qualemcunque de hac re dissertationem in harum quaestt. P. I. prodierunt, quae omnes eundem finem, quanquam diversis modis, petunt, commentationes C. G. A. STUEVII, Osnabr. 1830. 4, ZIEMANNI d. bell. Phil. Olynth., F. W. TH. PETRENZII, Gumbinn. 1838. 4, BRUECKNERI, Schweidn. 1833. 4. Vid. BECKER Litt. d. Dem. p. 172. 281 sqq.

100) Vid. harum quaestt. P. III. p. 28 sq.

101) Vid. BECKER Dem. phil. Red. t. I. p. 108, Dionys. üb. d. Rednergew. d. Dem. p. XXIV. annot. 28. C. A. RÜDIGER d. canon. Philipp. p. 9 sq.

102) In harum quaestt. P. I. p. 7. annot. 8.

veterum libris accepta debeantur [103]). Quod ut factum esse concedamus, quanquam, uti *Rankius* ipse largitur, est quod ambigi possit, tamen id ipsum vitio vertimus critico, quod quae alii memoriae tradiderant bona fide repetiit nec denuo ipse pertractavit atque emendavit. Igitur quoquo te vertas, negligentiae crimen nullo modo a Dionysio removeas. Aliter fortasse iudicandum de vita commentationi de Demosthene praemissa, quae interiit. Quippe accuratius ibi rem tractatam esse tam ex locis singulis partis eius quae superest [104]), quam ex eo colligas, quod non solum secundas curas auctor adhibuit, verum etiam ipsam vitam oratoris describere sibi proposuit, dum in Ep. ad Ammaeum nihil aliud egerat, quam ut Demosthenem non ab arte Aristotelis pependisse ostenderet. Verum tamen cum prorsus evanuerit, neo dubitare iuvat nec affirmare, multum, si servata esset, nos ad historiam Demosthenis enucleandam lucri fuisse habituros. Ceterum quanta fuerit et quam indefessa Dionysii in summo oratore illustrando diligentia, docet etiam tertius quem de eo scripsit liber a *Rankio* demum nuper repertus et e tenebris erutus [105]), quemque absoluto opere de oratoribus ac prius quam accederet ad Dinarchum scripsisse putandus est. Atque ille quidem tam tempori singularum orationum constituendo, quam veris ac suppositis orationibus distinguendis destinatus erat [106]), quod argumentum item in

---

103) In Epist. ad Ziemann. p. VII. allatis locis hisce, p. 723 sq. c. 3. *ἀνάγκη δ' ἴσως πρῶτον ὅσα παρέλαβον ἐκ τῶν κοινῶν ἱστοριῶν, ἃς κατέλιπον ἡμῖν οἱ τοὺς βίους τῶν ἀνδρῶν συνταξάμενοι, προειπεῖν.* p. 727. c. 4. *ὡς ἔκ τε τῶν ἱστορουμένων περὶ τοῦ ἀνδρὸς ἀποδείξω.* p. 728. c. 6. de Aristotele: *ταῦτα μὲν οὖν ἐστιν ἃ παραδεδώκασιν ἡμῖν οἱ τὸν βίον τοῦ ἀνδρὸς ἀναγράψαντες.* Cf. RANKE in Encycl. I. I. p. 55.

104) Velut ex p. 981. c. 9. p. 994. c. 13. coll. Ep. ad. Amm. c. 10. p. 787.

105) Epist. ad Ziemann. p. IV. sq.

106) Vid. iud. d. Dinarch. p. 656. c. 11. *ὁ μὲν γὰρ Δημοσθέ-*

egregio detrahitur, credenda sunt paratissimi. Contra alii extitere qui viros illos, quorum a partibus stabant, ut in pristinam dignitatem restituerent, talionem quasi ad amussim aequiparantes, alia ab eis honeste facta dictaque invenirent et in vulgus credulum efferrent. His non minus bene rem cessisse tot docent fabulae, quae memoriae traduntur, tam inter se contrariae, ut optione data non habeas utrum eligas. Ex quo efficitur, ut istis solis fabulis colligendis historia corrumpatur. Verum minime dico has fabulas prorsus ex historia removendas esse, immo iis vel maxime utendum arbitror, dum modo via ac ratione adhibitoque iudicio fiat; quippe earum fontibus, quantum quidem fieri potest, indagandis demum eo pervenimus, ut vera a falsis ementitisque dignoscere variosque ac multiplices animi humani flexus motusque perspicere possimus. At vero cum hac in re saepe numero non nostrae solum, sed cuiusvis aetatis scriptores frustra laborent, quia fontes et ab initio impuri erant et manare brevi desinebant, sequitur ut historiae vel vitarum scriptori fabulae illae non modo solum, sed ne potissimum quidem esse debeant, verum ut modice in auxilium vocandae sint, praesertim cum ex eis solis totus homo nunquam cognoscatur, plerumque autem nihil aliud eis comprobetur quam humanam omnibus hominibus communem esse imbecillitatem. Quis enim ex dicto aliquo acerbo magis quam faceto, quod adversariorum provocavit impudentia sive malevolentia, concludat, ei cui excidit pravam esse animi indolem? Itaque primum atque summum est, ut historiae scriptor facta hominum indaget et enarret; ex his enim de animo fieri potest coniectura; in quibus si insunt *μάχαι μυριόνεκροι καὶ παρατάξεις αἱ μέγισται καὶ πολιορκίαι πόλεων*, haec minime sunt omittenda; namque sic tantum scriptor assequitur, quod ab initio tanquam summum finem posui, ut veram imaginem eius quod describat repraesentet.

Iam Plutarchus, ut ad eum nunc eiusque Demo-

sthenica potissimum transeamus, fieri non potuit quin legem sibi scriptam sequutus ita vitam oratoris scriberet, ut multa desideres quae ut necessaria requiruntur, alia immisceret quae ab historia videntur esse aliena. Atque aegre quidem desiderari dico ea, quae si adessent demum veram et ab omni parte absolutam oratoris imaginem nobis animo fingere possemus. Idque eo magis hoc loco urgendum est, quoniam quae desiderantur et gravissima sunt et ad inveniendum facilia et ipsa ab auctore aliquatenus promissa. Scilicet cap. 3. *διὸ καὶ γράφοντες,* inquit, *ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ τῶν παραλλήλων ὄντι πέμπτῳ* [109]) *περὶ Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος, ἀπὸ τῶν πράξεων καὶ τῶν πολιτειῶν τὰς φύσεις αὐτῶν καὶ τὰς διαθέσεις πρὸς ἀλλήλας ἐπισκεψόμεθα, τὸ δὲ τοὺς λόγους ἀντεξετάζειν καὶ ἀποφαίνεσθαι, πότερος ἡδίων ἢ δεινότερος εἰπεῖν, ἐάσομεν.* Itaque speramus fore ut res gestas Demosthenis omnes accurate enarret, quippe qua sola ratione recte potest describi vita viri, qui vixit in republica liberae conditionis, in ea regenda totus erat, in ea augenda vires consumpsit, in ea tuenda animam exhalavit. Sed frustra speravimus; etenim alteram tantum partem vitae Demosthenis copiosissime explicatam invenimus, quae incipit inde ab Ol. CX, 2. cap. 17. sqq., alteram quae praecedit et incipit inde ab Ol. CVI, 3.

109) Perpauci sunt loci, ubi quotam scribat vitam indicet Plutarchus; duo tantum praeter hunc extant, in vit. Pericl. c. 2. *καὶ τοῦτο τὸ βιβλίον δέκατον συντετάχαμεν,* et in vit. Dion. c. 2. *ἐν τούτῳ δὲ δωδεκάτῳ τῶν παραλλήλων ὄντι βίων.* Ordinem, qui valde perturbatus est in libris manu scriptis atque editis, restituere conatus est A. Lion comment. de ordine quo Plutarchus vitas scripserit, Gotting. 1819. 4. Qui quantum a veritate in re difficillima aberraverit non est huius loci indagare. Aliam autem quaestionem non prorsus omittere debebat, scilicet qui tandem factum esset, ut in praesentem ordinem vitae Plutarchi redigerentur. Ego equidem vix me possum continere quin confidenter asseverem, magistros hoc Romanam iuventutem linguam Graecam docentes effecisse, quoniam solis Gracchis exceptis Romani, quorum vitas Plutarchus scripsit, ex ordine temporum recte dispositi sunt.

quo primum Demosthenes ad rempublicam accessit, paucissimis absolvit; nam quae habet cap. 12. sqq. de actione Midiana, de oratoris consilio in republica administranda et ratione, de eius orationibus, denique de expeditione Euboica et Byzantia, praeclara quidem sunt, verum tamen minime sic comparata, ut pro vera vitae enarratione haberi possint, nisi indigesta dictorum factorumque congeries hoc nomine vocanda est. Sed nisi fallor scriptori vitae sic agendum est, ut non modo nihil desit quod conferat ad eam illustrandam, verum etiam ut omnia recto ordine ac modo progrediantur, nihil perversum sit atque praeposterum, ut is de quo agitur ante oculos nostros quasi crescat, floreat, decidat. Hoc tamen prorsus neglexit Plutarchus ac potius ita scripsit, ut non tam docere nescientes quam scientibus rem in memoriam revocare voluisse videatur; certe qui non aliunde comparatam affert accuratam totius aetatis Macedonicae cognitionem, ex Plutarcho eam sibi non magis comparabit quam intelliget, quid tandem praestiterit Demosthenes tam insigni laude dignum, *ὥστε θαυμάζεσθαι μὲν ἐν τῇ Ἑλλάδι, θεραπεύεσθαι δ' ὑπὸ τοῦ μεγάλου βασιλέως, πλεῖστον δ' αὐτοῦ λόγον εἶναι παρὰ τῷ Φιλίππῳ τῶν δημαγωγούντων, ὁμολογεῖν δὲ καὶ τοὺς ἀπεχθανομένους, ὅτι πρὸς ἔνδοξον αὐτοῖς ἄνθρωπον ὁ ἀγών ἐστι*, quae verba sunt Plutarchi cap. 12. Haec non est brevitas consilio auctoris, qui vitas, non historias scribere voluerit, excusanda, sed perquam vitiosa obscuritas. At plane tenebrae oboriuntur, cum Plutarchus consulto pene omnem temporum notationem fugiat, raro annum indicet, quin immo ubi indicat in errorem nonnunquam turpiter incidat, ita ut appareat hanc partem historiae scribendae eum prorsus neglexisse. Quod quam vere dictum sit, abunde satis probatur loco cap. 15. *τῶν δὲ δημοσίων ὁ μὲν κατ' Ἀνδροτίωνος καὶ Τιμοκράτους καὶ Ἀριστοκράτους ἑτέροις ἐγράφησαν, οὔπω τῇ πολιτείᾳ προσεληλυθότος· δοκεῖ γὰρ δυοῖν ἢ τριῶν δέοντα ἔτη τριάκοντα γεγονὼς ἐξενεγκεῖν τοὺς λόγους ἐκείνους.*

Quae omnia sunt falsissima. Quippe aliunde satis constat, non has omnes orationes scriptas esse antequam Demosthenes accederet ad rempublicam, i. e. ante Ol. CVI, 3, sed Androtioneam tantum, quae dicta est Ol. CVI, 2. archonte Callistrato, contra Timocrateam dictam Ol. CVI, 4. archonte Eudemo, Aristocrateam Ol. CVII, 1. archonte Aristodemo. Sic accurate iam ante Plutarchum exposuerat Dionysius Halic. in Ep. ad Ammaeum I. c. 4. Nec verum est quod addit, Demosthenem tunc viginti et septem vel octo annos natum fuisse; namque natus Ol. XCVIII, 4. cum Androtioneam scriberet aetatis annum egit 31., cum Timocrateam 33., cum Aristocrateam 34.; quanquam minus urgere volo hunc errorem, qui nititur in controversia de anno natali oratoris quique communis est Plutarcho hac in vita maiore cum Dionysio aliisque [110]). Foede tamen errat cap. 24. cum scribit: *εἰσήχθη δὲ τότε καὶ ἡ περὶ τοῦ στεφάνου γραφὴ κατὰ Κτησιφῶντος, γραφεῖσα μὲν ἐπὶ Χαιρώνδου ἄρχοντος μικρὸν ἐπάνω τῶν Χαιρωνικῶν, κριθεῖσα δ' ὕστερον ἔτεσι δέκα ἐπ' Ἀριστοφῶντος.* At scriptus est libellus ab Aeschine septimo demum mense post pugnam Chaeronensem, siquidem haec pugnata est septimo Metagitnionis die, ut ipse ait Plutarchus in vita Camilli c. 19, ille vero, quem integrum habemus apud Demosth. in or. d. cor. p. 243. §. 54. sq. inscriptus est: *ἐπὶ Χαιρώνδου ἄρχοντος, ἐλαφηβολιῶνος ἕκτῃ ἱσταμένου, Αἰσχίνης Ἀτρομήτου Κοθωκίδης ἀπήνεγκε πρὸς τὸν ἄρχοντα παρανόμων γραφὴν κατὰ Κτησιφῶντος κτλ.* Tum spatium non, ut vult Plutarchus, decem, sed octo tantum annorum (et vel sic nimis longum) fuisse omnes sciunt qui in Demosthene legendo aliquantum labora-

110) In quibus Gellius N. A. XV. 28. illud adeo ab utriusque scriptoris studiosis animadversum et scriptum est, quod Demosthenes et Cicero pari aetate illustrissimis orationes in caussis dixerint, alter *κατὰ Ἀνδροτίωνος* et *κατὰ Τιμοκράτους* XXVII annos natus, alter anno minor pro P. Quinctio, septimo et vigesimo pro S. Roscio. Item Zosimus vit. Dem. p. 151. ed. Reisk.

runt, et scire possunt quibus fastos Atticos evolvere videtur operae esse pretium. Sed hi errores quanquam graves atque turpes iure dicendi sunt, tamen quia quasi palam commissi a quovis vel mediocriter perito facile animadvertuntur et nullo negotio corriguntur, minus perniciosi sunt quam alii ex eodem fonte oriundi, sed clandestini magis et ad inveniendum ideoque ad evellendum etiam difficiliores. Huc pertinet, de qua iam alio loco [111]) dictum est, caussa Oropica cap. 5; addo aliud ex cap. 31. ubi haec de Demade leguntur: *γράμματα γὰρ ἐξέπεσεν αὐτοῦ, δι' ὧν παρεκάλει Περδίκκαν ἐπιχειρεῖν Μακεδονίᾳ καὶ σώζειν τοὺς Ἕλληνας, ὡς ἀπὸ σαπροῦ καὶ παλαιοῦ στήμονος (λέγων τὸν Ἀντίπατρον) ἠρτημένους. ἐφ' οἷς Δεινάρχου τοῦ Κορινθίου κατηγορήσαντος παροξυνθεὶς ὁ Κάσανδρος ἐγκατέσφαξεν αὐτοῦ τῷ κόλπῳ τὸν υἱόν, εἶτα οὕτως ἐκεῖνον ἀνελεῖν προσέταξεν, τοῖς μεγίστοις διδασκόμενον ἀτυχήμασιν, ὅτι πρώτους ἑαυτοὺς οἱ προδόται πωλοῦσιν.* Quod licet quodam modo confirmetur verbis Arriani apud Phot. bibl. cod. XCII. p. 70. A. Bk. *καὶ ὡς Δημάδης οὐ πολλῷ ὕστερον ἐς Μακεδονίαν ἀχθεὶς ὑπὸ Κασάνδρου ἐσφάγη, τοῦ παιδὸς ἐν τοῖς κόλποις προαποσφαγέντος· αἰτίαν δ' ἐπῆγε Κάσανδρος, ὅτι τὸν αὐτοῦ πατέρα ἐξυβρίσειεν ἐν οἷς ἔγραψε Περδίκκᾳ σώζειν τοὺς Ἕλληνας, κτλ.*, apparet tamen Demadem tunc non potuisse nisi ad aliquem qui adhuc inter vivos esset dare litteras. Atqui Perdiccas iam quattuor annis ante obitum Demosthenis (qui mortuus est Ol. CXV, 3.) Ol. CXIV, 3. in Aegypto perierat. Vid. Diod. Sic. XVIII. 36. Itaque etsi concedimus, antea Demadem ad vivum Perdiccam litteras dare potuisse, quis tamen est qui credat has litteras eum ante quattuor annos scriptas et non traditas etiamnunc secum circumtulisse? Recens scriptae erant potius ad Antigonum, ut rectissime ipse Plutarchus in vit. Phocion. c. 30. refert: *εὗρεν ἐπιστολὴν Δημάδου γεγραμμένην πρὸς Ἀντίγονον εἰς Ἀσίαν, πα-*

---

111) Quaestt. P. III. p. 6. annot. 13.

ϱακαλοῦντος αὐτὸν ἐπιφανῆναι τοῖς περὶ τὴν Ἑλλάδα καὶ Μακεδονίαν, ἐκ παλαιοῦ καὶ σαπροῦ κρεμαμένοις στήμονος, τὸν Ἀντίπατρον οὕτω σκώψαντος. Quare erravit altero loco diversissimaque commutavit, quod ei non accidisset, nisi chronologicam quae dicitur historiae partem prorsus neglexisset. Cuius negligentiae vel ex minutiis testimonium capi potest; namque cap. 30. Demosthenem ἕκτῃ ἐπὶ δέκα τοῦ πυανεψιῶνος μηνὸς mortuum esse dicit, annum ipsum silentio praetermittit; quippe multo ei gravius est quod ominis caussa addit: ἐν ᾗ τὴν σκυθρωποτάτην τῶν θεσμοφορίων ἡμέραν ἄγουσαι παρὰ τῇ θεῷ νηστεύουσιν αἱ γυναῖκες.

His missis iam quaerendum est, quantum in reliquis auctoritatis atque fidei Plutarcho tribuendum sit. Quod si pendet a fontium ex quibus hausit auctoritate, haud parum illud esse quivis concesserit. Namque optimo quoque scriptore usus est ad vitam Demosthenis componendam. His supra iam singulatim recensitis hic addo oratores, Demosthenem ipsum atque Aeschinem. Quanquam enim — id quod praetexunt qui hanc Plutarcho laudem eripere student — quae hi dixerant ab aliis quoque vitarum scriptoribus repetita accipere potuit, ipsas tamen orationes ab eo cognitas lectasque esse non est quod infitiemur, immo admodum veri simile est, si reputes, eos ut potissimos fontes vitae Demosthenicae scriptori fuisse adeundos, eaque compares quae Plutarchus ex eis ipsis interdum verbis oratorum desumpsit. Itaque quae habet c. 4, hausit ex Dem. or. adv. Aphob. I. p. 814 sqq. coll. inprimis p. 828. §. 46, ibidem quae de matre Demosthenis, ex Aesch. or. adv. Ctesiph. §. 171 sq., quae cap. 9. de Pythone, ipsis verbis ex Dem. or. d. cor. p. 272. §. 136, quae item Diod. Sic. XVI. 85. habet, quanquam ibi temporibus diversissimis turpiter confusis; quae cap. 12. init. de tempore quo Demosthenes ad rempublicam accesserit, ex Dem. or. d. cor. p. 230. §. 18, quae ibidem de aetate oratoris, ex eius or. adv. Mid. p. 564. §. 154, quae cap. 14.

de Antiphonte, ex Dem. or. d. cor. p. 271. §. 132 sq., quae ibidem de Theoride, ex or. in Aristog. I. p. 793. §. 79 sq., quae cap. 15. de Ctesippo, ex Dem. or. adv. Lept. p. 457. §. 1; ibidem quae de orationibus de male gesta legatione dicta sunt, ex accurata harum orationum et Ctesiphontearum profluxerunt cognitione; quae cap. 16. de dicto Demosthenis, et Aesch. or. d. fals. leg. §. 112, quae cap. 21. de periculo Demostheni post pugnam Chaeronensem imminenti, ex Dem. or. d. cor. p. 310. §. 249, quae cap. 22. de obitu Philippi Demosthenisque gaudio, ex Aesch. or. adv. Ctesiph. §. 77 sq., quae cap. 23. de cognomine Alexandro a Demosthene indito, indid. §. 160, ibidem quae de deserta a Demosthene legatione et fuga ex Cithaerone, indid. §. 161; — quanquam de omnibus non audeo quovis pignore affirmare, nec repugnabo, si quis aliunde quaedam deprompta videri contendet, inprimis Aeschinea, quae partim certe Theopompo deberi propter utriusque animi affinitatem suspicari haud absurdum est. Verum enimvero non satis est ex optimo quoque scriptore quaedam excerpere eaque ex congerie novum qualecunque corpusculum conflare, sed necesse est ut iudicium denuo adhibeatur eaque omnia, quae vel optimus auctor tradidit, accuratissimo examini subiiciantur, id quod a Demosthenis vitae scriptore eo impensius requiritur, quo magis ille partium studio expositus osorumque criminationibus obnoxius fuit. Neque hoc fugisse Plutarchum patet ex eis locis, ubi Aeschinem, velut cap. 4, copiosissime cap. 22, item tacito cap. 12. (coll. Aesch. or. adv. Ctes. §. 52.), atque Theopompum, velut capp. 13. 18. 21. perspecta utriusque animi malignitate impugnat et refutat; nec ab aliorum sublestae fidei auctorum sententia recedere dubitat, ut ab Idomenei cap. 15.[112]), quem alias quoque a Plutarcho parvi aesti-

---

112) Vid. Quaestt. P. III. p. 53 sqq. Becker Anal. z. d. att. Redn. fasc. I.

mari ante vidimus. Attamen non tam via ac ratione, quam prout occasio ferret atque libido hac in re versatus esse videtur; quippe in media via substitit neque quod inceperat per totum opus persequutus est. Quod quid sibi velit, imprimis apparet ex multitudine historiarum sive fabularum quas, uti supra dictum est, Plutarchus suam legem sequutus immiscuit, ut animum atque indolem oratoris accuratius describeret. In his quanquam plura insunt praeclara quaeque ab oblivione vindicata esse iure gaudeas, non desunt tamen quae incerta et ab historia aliena esse videantur. Scilicet Plutarchus fines sibi ipsi scriptos saepe migrat neque accquiescit in enarrandis eis, quae sibi sunt *πρᾶγμα βραχὺ καὶ ῥῆμα καὶ παιδιά τις*, verum gravissima quaeque historiis fabulisque cumulate distinguit et exornat. Sed ne haec quidem desiderari vellem, modo auctor ubique fontes indagasset ipsarumque fabularum veritatem in quaestionem vocasset; neutrum enim ubi facit, declarat se et aliis, qui idem tradiderunt, fidem habere nec ipsum de rei veritate dubitare. Saepe numero sane *φασί, λέγεται,* vel tale quid subiicit, quasi non suam, sed aliorum opinionem memoriae tradat; sed qui sint qui ante tradiderunt quidque ipse censeat reticens non multum abest a prisco logographorum more seque ipsum prodit fabularum aucupem. Quamquam enim non is sum qui cuiusvis rei disertum petam ab historiae scriptore testimonium, tamen ubi ipse suo nomine aliquid proferre dubitat, postulo ut cur dubitet dicat atque auctorem nominet, praesertim cum in antiqua historia enarranda auctoritati quam plurimum tribuendum esse videatur. Huius generis sunt quae Plutarchus habet de Callistrato cap. 5, de orationibus Apollodoro atque Phormioni scriptis cap. 15, de fuga Demosthenis cap. 26, alia; graviora quae suo nomine profert de Demosthenis ad Philippum legatione cap. 16, quae a vulgari opinione valde discrepant, de Demosthenis audacia ante pugnam Chaeronensem eiusque in pugnando

ignavia cap. 20, ibidem de Philippi superbia deque litteris inventis, ex quibus Demosthenem a rege Persarum corruptum esse appareat, quae ab eius inimicis inventa esse non vana est suspicio, de actione Harpalica cap. 25, de colloquio cum Archia a Demosthene antequam obiret habito cap. 26. Quae omnia sic sunt comparata, ut minime quidem a Plutarcho inventa esse credas, quaedam adeo vulgo traditis praeferas, sed reliqua mireris tamen ab eo si non credita, at bona fide ne auctoribus quidem nominatis memoriae esse tradita, praesertim cum alioquin in rebus levioribus testes excitare operae pretium habeat. Quamobrem huiusmodi historiis congerendis materiem potius describendae vitae Demosthenicae eum collegisse, quam ipsam oratoris historiam condidisse dicas. Certe etiamsi aliquid damus modestiae eius, qua non ausus est ipse omnia diiudicare [113]), eumque etiam rei difficultate vel suo tempore plerumque inextricabili excusamus, apparet quam grave atque ad explendum difficile reliquerit futuro vitae Demosthenis scriptori officium haec omnia et quidem ereptis cunctis pene quae olim suppeditabant subsidiis denuo indagandi atque diiudicandi. Verum his missis maculis demum fatendum est, Plutarchum subtili quodam diuturnaque morum perscrutatione firmato atque acuto sensu pulcri et recti ductum de Demosthene eiusque de republica meritis ubi iudicet omnino recte iudicasse atque imaginem eius proposuisse, quae non multum ab ipsa veritate discreparet [114]). Vid. inpr. capp. 13. et 22.

Multo difficilius est iudicatu de altera vita Demosthenica a Plutarcho scripta, quam minorem dicimus quaeque legitur in vitis decem oratorum, libro omnium desperatissimo. Atque hunc quidem cuiusvis generis dubitationibus, opprobriis, conviciis obrutum ab omnibus fere Plutarcho eripi inter omnes constat; pauci

113) Cuius testimonium extat in vit. Dem. c. 15.

114) Cf. Ranke in Encycl. I. l. p. 57.

extiterunt qui aliter sentirent atque librum illum auctori suo restituendum esse censerent. Sic olim iam *Hieron. Wolfius* iudicavit; nostro tempore *A. G. Beckerus* primus assensus est et accurate de ea re exposuit; huic ego accessi dedique operam, ut quantum quidem fieri posset sententiam illam et confirmarem et amplificarem, demonstraremque, librum istum a Plutarcho scriptum esse posse nihilque dum ab aliis prolatum esse, ex quo non ab eo scriptum esse sequeretur. Evenit quod praesagivit animus; nemini prorsus persuasi, paucis rem ex maiore parte probavi [115]), plurimis bilem movi. Nec miror hunc conatus mei eventum; quippe nullius rei homines quam inveteratae opinionis tenaciores sunt. Non dico hoc quasi prorsus hanc tenacitatem improbandam esse censeam extemploque velim homines omnes in quamque novam atque inauditam opinionem involare; ex contrario qui sanae mentis est, non potest non probare eos qui, quae acceperunt a vetustate quasi sancita multorumque hominum consensu confirmata, non temere abiiciunt, sed defendere student eoque usque tenent dum amplius non possint et victos se esse sentiant. Sed est tamen haec tenacitas finibus quibusdam circumscribenda, praesertim ubi agitur de rebus quae ad antiquitatem pertinent ac saepe numero ita comparatae sunt, ut aliquid certe dandum sit divinationi atque coniecturae, nec omnia ita construi demonstrarique possint, ut oculis ea videas manibusque comprehendas. Prae omnibus sine ira et studio agendum est; contra dicant, non repugno, immo volo ac probo, quia sic demum veritas eruitur; verum ita contra dicant, ut absit omnis invidia calumniandique cupido, quae dedecet hominem litteratum, ut absit maligna cavillatio, qua gaudent invidi, ignari non erudiuntur, ut

115) In quibus gaudeo esse virum peritissimum, C. SINTENIS, cuius censura nostrae ed. vitt. dec. oratt. legitur in Zeitschr. f. d. Alterthumswiss. a. 1835. Jan. n. 4. 5.

absit voluntas non credendi quod credere haud absurdum est ac defendendi quod abiicere haud ignominiosum. At, inquiet aliquis, tu ipse falli atque veritatem pro errore, conscientiam veri pro prava tenacitate habere potes. Concedo nihilque tam a me alienum habeo, quam ut credam in errorem me incidere non posse, immo confiteor me nonnunquam in edendis olim vitis illis decem oratorum a veritate aberrasse; verum ipsam tamen quam de earum auctore proposui sententiam minime refutatam esse existimo. Quam rem cum iterum nunc retractare propositum sit, amicissimi *Sauppii* autem, qui vitas decem oratorum Plutarcho se erepturum esse promisit, argumenta nondum in lucem prodierint, nihil iam mihi reliquum factum est quam ut repudiem quae contra me attulit *Frankius* V. Cl. [116]), qui me ad incitas plane redegisse idque evicisse sibi visus est, ut vitae decem oratorum adhuc iisdem quibus antea oppressae tenebris iacerent.

Ac primum quidem callide ille magis quam recte atque iuste silentio plane transit id quod maximi momenti est et a quo debebat, uti ego quoque institui, exordiri, quod non solum in Lampriae catalogo librorum Plutarcheorum vitae decem oratorum comparent, verum etiam in libris manu scriptis omnibus Plutarchi nomine circumferuntur. Hoc qui nescit, miretur sane, qui possit alicui in mentem venire, Plutarchum illius libri auctorem esse; contra qui hoc tacet, aut alios nescire vult, itaque maligne agit, aut leve habet nec quod refutetur dignum, itaque male agit. Iam dices, Lampriam librariosque erravisse sponte apparere, ubi demonstratum fuerit, Plutarchum libri auctorem esse non posse. Quod ut nunc concedam, tamen ab eo qui demonstrasse sibi videtur, Plutarchum libri auctorem esse non posse, optimo iure postulamus, ut iamiam demon-

116) In censura ed. nostrae, quae inserta est Jahnii et Klotzii Annal. a. 1834. XII. 2. p. 212—234.

stret qui factum sit, ut in tam foedum errorem et Lamprias et librorum scriptores omnes inciderent. Scio quidem, in promptu fore argumentum: quippe Lampriam de alio patris nunc deperdito libro loqui, librarios, genus oscitans et dormitans, hunc cum non invenissent alium eiusdem argumenti Plutarchi nomine inscripsisse. At hoc ad inveniendum quam ad credendum est facilius; ego certe etiamnunc praefracte nego, librariorum omnium quantumvis stolidorum tacito quasi consensu atque conspiratione fieri potuisse, ut Plutarcho librum tribuerent, quem Plutarchi esse nisi aliunde confirmatum esset nemo crederet. Itaque ponendum est, librarios nomen auctoris a principio sibi traditum accepisse, ponendum est, Plutarchum auctorem esse posse, idque pro certo et explorato habendum, dum invenias rationem qua singularis libri forma explicari possit haud absurdam. Ac talis mihi visa est quam proposuit *Beckerus* meus, ut haberemus collectanea vel adversaria, in quae prout occasio offerretur quaecunque Plutarchus coniiceret quae ad decem oratores pertinerent, eorum vitas olim ex ordine accurateque descripturus. Hoc modo apparere credidi, non mirandum esse quod liber non modo non ab omni parte absolutus, sed perversus adeo et imperfectus evaserit; quippe in eo dixi incomposita omnia, discerptas sententias, praepostera tempora, confusas personas, perturbatum ordinem, rerum caussas nusquam alias ex aliis aptas et nexas, nihil suo loco dictum, quaedam suspecta ac plane falsa; errores autem partim auctori ipsi tumultuarie raptimque quae invenisset congerenti imputandos esse, partim autem aliorum esse quos excerpsisset errores, quos in vitis accuratius olim et uberius scribendis notare et corrigere propositum haberet, alios videri librariis deberi, quanquam ad quam unus quisque error classem pertineret invenire admodum difficile esset. Haec omnia tanquam inutilia abiicit censor severissimus. Ac primum contendit, non esse posse collectanea, aut, si

essent, ab aliquo demum homine imperito in eam qua nunc sint formam redacta esse; nam exceptis tantum foede perturbatis vitis Isocratis atque Demosthenis omnia maximam partem satis bene cohaerere (*wir finden meistentheils eine leidlich geordnete Darstellung*, p. 214); quippe auctorem incipere a genere, interdum ab anno natali oratoris, subiicere potiores eius res gestas haud plane inepte ordinatas (*in erträglich zusammenhängender Darstellung*), denique annectere quaedam de orationibus earumque numero, colore, eventu, de cognatis, progenie, aliis; itaque me in describenda forma atque indole huius libri modum longe multumque excessisse; praeterea si essent collectanea, exspectari ut quae unus quisque scriptor tradidisset, coniuncta legerentur, et omnino multo plura et graviora ex aliis excerpta in his vitis continerentur. In quibus licet insint quaedam verissima, ut id ipsum quod me dicit in describendo libro modum excessisse (quod ingenue confiteri minime dubito), tamen insunt alia quoque, ex quibus patet quam sit vaga et parum sibi constans censoris opinio, ut quod excipere coactus est vitas Isocratis atque Demosthenis et reliqua quoque maximam partem tantum bene cohaerere confitetur. Non puto hac argumentatione effectum esse, ut hae vitae pro collectaneis non haberi possint. Tu vide quae mea nunc sit hac re denuo perpensa ac secundis curis retractata sententia. Plutarchus consilium cepit scribendi vitas decem oratorum. Quod qui scit quam sit difficile, quam amplum multiplicisque doctrinae argumentum, haud absurdum iudicabit si ponamus, primum eum materiam olim digerendam undecunque collegisse et in adversaria coniecisse. Verum non ea opus erat Plutarcho praeparatione qua alii fuisset, qui horum hominum eorumque aetatum historiae prorsus ignarus ad tales vitas scribendas accederet. Quippe ille enim descriptis iam multis omnium temporum viris praeclarissimis inque eum finem libris lectis omnis generis utilissimis, iam dudum

horum oratorum quoque imagines animo informaverat eorumque vitas in universum cognoverat. Itaque ut in eis describendis via ac ratione procederet, suspicor eum totius primum operis summa et extrema lineamenta duxisse et fundamentum quasi eo iecisse, ut unius cuiusque oratoris vitam, qualis nunc quidem animo ac memoriae obversaretur, breviter exararet, postea quae scitu aut refutatu digna repperisset in margine aut sub finem adnotasse, quo dato otio ad vitas accuratius scribendas suo quidque loco reponeret, corrigeret, illustraret. Hoc modo facile intelligitur, cur plurima satis bene cohaereant et haud plane inepte ordinata sint, quaedam tamen hient et inter se discrepent; scilicet Plutarchus in primis lineis ducendis (et sibi quidem, non aliis) non erat quod anxie rerum ordinem servaret, in reliquis postea prout occasio data esset addendis plane non potuit. Iam videamus quomodo hoc vitis singulis accommodari possit. Ac statim prima, Antiphontea, habet quibus a reliquis differat, ita ut eam primam, nondum certa praescripta sibi ab auctore via, scriptam esse dicas; incipit auctor a patre quidem, sed statim transit ad res oratorias, profert quaedam de origine orationum scribendarum, et ita quidem ut ab historiae scriptorum lectione recens esse videatur, atque subiicit nonnulla de Antiphonte oratore raptim congesta; tum accedit ad eius res gestas et varias de eius morte narrationes recenset; ipse quoque controversiam diiudicat, erroris, uti alias etiam solet, Theopompum coarguens. Ex quo hanc vitam primam scriptam esse veri est simillimum; in reliquis enim tantum modo refert, nusquam iudicat. Quae sequuntur autem p. 833. B. φέρονται δὲ κτλ. tam sunt ab rerum ordine aliena et perturbata, ut hinc incipere putem ea quae postea diversis temporibus auctor adscripsit. In vita Andocidis, quam dudum ex quo de Alcibiade et Nicia scripsit perspectam habuit, omnia satis bene procedunt usque ad p. 835. A; quae sequuntur inde a verbis καὶ ἤκμακε, alio tempore acces-

serunt. Eadem est ratio in vita Lysiae usque ad p. 836. B, in quibus nolim urgere repetitionem anni natalis Lysiae p. 836. A, quoniam eo in memoriam revocato indicare vult quousque fere Lysias vixerit. Glossam esse non persuadet censor noster p. 218. Accessiones incipiunt verbis Δημοσθένης δ' ἐν τῷ κ. Ν. κτλ. Isocratis vita, si totam spectas, aeque atque Demosthenica in rebus ordinandis est perturbatissima; verum haec quoque facile difficultas removetur, si ponis eam desiisse proprie ubi desinunt verba quodam modo cohaerere, incipere additamenta ex quo omnia miro modo permiscentur, i. e. inde a p. 838. A. verbis εὐπόρησεν ἱκανῶς. Quae quoniam diversis temporibus scripta sunt, atque auctor maiorem, ut videtur, quam reliquis oratoribus Isocrati operam dedit, fieri vix aliter potuit quam ut nonnunquam in eadem iterum incideret de quibus antea iam sermonem fecerat. Hic fons est repetitionum illarum quas enotavi in commentatione mea de auct. vitt. dec. oratt. p. 7, de quibus tamen aliter iudicat censor noster p. 217 sq. Ac primam p. 838. B. (οἱ δὲ τεταρταῖον ἅμα ταῖς ταφαῖς τῶν ἐν Χαιρωνείᾳ πεσόντων), quae idem continet quod iam p. 837. E. dictum erat, glossam esse dicit loco alieno in textum ipsum illatam, plane ut proxime sequentia, συνέγραψε καὶ αὐτοῦ ὁ παῖς Ἀφαρεὺς λόγους, quibus p. 839. C. demum locus fuisset. Quae, ut mihi quidem videtur, sunt eiusmodi, ut neque affirmari neque refutari possint, et omni ratione plane carent. Falsum adeo est quod dicit verba οἱ δὲ τεταρταῖον κτλ. alieno loco in textum irrepsisse; ego certe nullum invenire possum locum cui magis accommodata essent. Sequitur altera repetitio p. 839. B. ex p. 838. A, quae est de Aphareo filio Plathanes ex Hippia ab Isocrate adoptato; et altero quidem loco additum legitur ὡς προείρηται. Quo additamento censor noster abutitur ita ut asseveret, Plutarchum scientem ac volentem haec repetere, itaque diversis temporibus scribere non potuisse. At quid impedit quin eodem nos

hic quo in priore loco ille confugiamus? Glossam esse a lectore quodam in margine adscriptam verba *ὡς προείρηται* eo confidentius affirmo, quod eadem prorsus volentem ac scientem repetere absurdum est, multo vero absurdius legentes de ipsa tali repetitione admonere itaque suam absurditatem confiteri [117]). In tertia repetitione, quae legitur p. 839. C. coll. p. 838. A, censor ipse offendit aliquantum, sed brevi omnem abiicit dubitationem ac iubet verba *δύο δὲ ἐν ἅπαντι τῷ βίῳ συνέστησαν αὐτῷ ἀγῶνες* usque ad verba *τὴν τριηραρχίαν ὑπέστη* ex textu eiicere, ut glossam bene cohaerentia verba *λέγεται δὲ καὶ κεκλητίσαι — ὡς εἶπόν τινες· ἦν δὲ αὐτοῦ καὶ γραπτὴ εἰκὼν κτλ.* male perturbantem atque disiungentem; eiusdemque generis, i. e. eiiciendam esse ineptam quoque fabulam p. 838. A. (non C.) narratam, quam idem Plutarchus d. libb. educat. c. 7. non ad Isocratem, sed ad Aristippum referat. Verum hoc est furere, non criticum agere, corrumpere, non emendare. Non corrigendae sunt hae vitae secundum regulas vulgares, quas bona fide sequi licet in tractando purgandoque libro cui ab ipso auctore ultimam manum admotam esse scimus; multo cautius et consideratius agendum est cum hoc libello, cuius tam singularis est natura atque indoles, quique ipsi censori nostro spissis adhuc tenebris oppressus iacet. Ego equidem omnia sana esse ratus neque hanc miror repetitionem alio tempore quam quo priora, quae ipsa quoque ad accessiones pertinent, nunc tamen memoria auctori exciderunt, ex alio fonte haustam et adscriptam, neque fabulam istam ut ineptam temere damnare ausim, praesertim cum ad Aristippum rectius an ad Isocratem ea re-

117) Eadem plane ratio est eiusdem additamenti in vit. Aesch. p. 841. A. coll. p. 840. C. Aliter tamen judicandum de loco consimili in vit. Dem. p. 847. E. *ἡ δὲ εἰκὼν τοῦ Δημοχάρους εἰς τὸ πρυτανεῖον μετεκομίσθη, περὶ ἧς προείρηται,* quae referenda sunt ad proxime antecedentia, ex quo sequitur, ut uno tenore scripta sint quae ibi de Demochare proferuntur inde a verbis *εἶχε δὲ καὶ ἀδελφὴν κτλ.*

quae p. 220. disputat censor gravissimus, ipsum quoque auctorem erravisse, quod errorem istum non simul emendasset, sed bona fide propagasset, satis iam refutata sunt eo argumento quod iam olim adhibui in comment. p. 14, quodque censor cum refellere non possit, ut suspectum reddat p. 220 sq. tanquam malam artem admiratur a me non etiam inepte aliis locis adhibitum esse. Itaque legat quae de hoc loco adnotavit vir rerum Plutarchearum peritissimus [118]).

Alterum, quod defendendum mihi sumpsi, pertinet ad vitam Demosthenicam et ad consilium quod ea scribenda Plutarchum habuisse olim auguratus et in comment. p. 12 sqq. demonstrare conatus sum, scilicet maiorem eiusdem viri vitam quae in parallelis extat emendandi. Qua in argumentatione licet quaedam insint quae non satis recte alicui disputata videantur, tamen summam rem etiamnunc firmissime stare arbitror, neque possum intacta relinquere quae contra protulit censor noster p. 221 sqq. Atque ille quidem hoc modo disputat: *Wenn man aber diese dürftige Notizensammlung, die uns der neue Plutarch bietet, mit der reichhaltigen Biographie des Demosthenes vergleicht; wenn man beachtet, dass in dieser Vita des Neuen nur Weniges und meist Geringfügiges geboten wird, dagegen von dem Alten, was sich bereits in Plutarch's D. findet, desto mehr, und zwar fast lauter die äussere Geschichte betreffende Notizen oder Anekdoten, von dem inneren Leben aber, von dem moralischen und politischen Charakter des Mannes, von seiner politischen Wirksamkeit und von den geschichtlichen Verhältnissen, unter denen er wirkte, fast so gut als gar nicht die Rede ist; so wird man nicht begreifen können, wie Plutarch habe auf den Gedanken kommen können, das schlechtere Werk an die Stelle des besseren zu setzen. Denn nun kann man natürlich in dieser Vita*

118) Sintenis in cens. l. l. n. 5. p. 42.

nicht mehr ein blosses Notizenbuch sehen, sondern muss es für eine planmässig angelegte Lebensbeschreibung halten, der nur die letzte Feile fehlte, weil Plutarch, wenn es blosse Collectaneen zu eignem Gebrauche seyn sollten, nicht so thöricht seyn konnte, dieselben Notizen, die sich in der bereits edirten Vita befanden, noch einmal und ohne wesentliche Veränderung aufzuschreiben. In his veri nihil inest, falsa omnia. Res haec est. Plutarchum harum vitarum decem oratorum auctorem esse traditur. In quibus cum insit vita Demosthenis, statim mentem subit cogitatio, quid fuerit quod ad eiusdem viri denuo scribendam vitam eum impelleret. Itaque legimus utramque atque comparamus. Iam inventis in ea quae seriore tempore scripta est permultis quae ab eis, quae in altera traduntur, recedunt, facere profecto non possumus quin hoc forte casuque factum esse negemus et ponamus potius, auctori consilium fuisse secundis curis aliquando priorem vitam retractandi atque emendandi. Hoc tam naturae rei consentaneum est, magis ut non possit. Iam vide quae ex his censor noster extorqueat. Concludit, consilio isto posito hunc librum non amplius haberi posse pro collectaneis, sed pro libro quem auctor, etsi ultimam manum non admovit, tamen in locum prioris de eodem argumento scripti libri sufficere voluerit. Haec quae sit conclusio fateor non assequor, nec contra principia negantem disputari potest. Quippe meis contra me armis utitur, quod dixi p. 12. opus magna diligentia inchoatum semiperfectum auctorem reliquisse, p. 13. ultimam manum non imposuisse. At hoc ipsum est condere collectanea.

Verum necesse est, ut nostram rem denuo confirmemus atque ostendamus, male adversarium nostrum suam rem egisse, cum contenderet, in hac minore vita pauca inesse nova eaque pusilla maximam partem, contra eo plura ex maiore vita repeti. Nec vereor ne patientia lectorum abutar iterum utriusque vitae atque ac-

curatiore facta comparatione. Ac primum enumeranda sunt ea quae plane nova accesserunt. Et haec quidem non posse esse multa sponte intelligitur, quoniam non credibile est eum, qui ante iam copiosissime eiusdem viri vitam descripserit, multa quae ad illum cognoscendum quam maxime necessaria essent omisisse. Sed sunt ea tamen scitu dignissima. Accesserunt quae leguntur p. 845. de Philippo, de anno oratoris natali reliquisque temporibus, de fuga Aeschinis, de mercenariis in Thaso alendis, de caussa Demosthenis annonaria deque murorum refectione, p. 846. de donis ultro datis, de pecunia sociis imperata, de coronis saepe numero ei decretis, p. 847. de eius aetate, de dicto adversus Alexandrum, de uxore, liberis, cognatis, inprimis de Demochare, de orationibus ac moribus, p. 848. de Anaximo et reliqua omnia usque ad finem. At multo plura insunt ex aliqua parte nova, i. e. quae accedunt ad ea quae auctor olim iam in maiore vita tradiderat, iisque aut mutandis aut amplificandis inserviunt. Huc pertinent quae statim ab initio p. 844. de genere Demosthenis leguntur, ubi quae olim omissa erant nunc adduntur, nomen matris, pagus, soror, studium Thucydidis; tum sequitur historia de Callistrato, ubi multo rectius omissa est caussa Oropica; aliter deinceps disseritur de magistris oratoris (cf. vit. mai. c. 5.), de Ctesibio, cuius ipse fortasse nunc demum inspectus ab auctore liber laudatur, de tutoribus liteque contra eos instituta, de qua perpauca olim c. 6; quaedam etiam aliter narrantur, ubi sermo est de exercitationibus Demosthenis oratoriis primisque eloquentiae rudimentis (cf. c. 6 sqq.), p. 845. item in historia Lamachi, qui olim dictus *Μυρριναῖος* nunc *Τερειναῖος* vocatur, quod nihil est censori nostro p. 225. (cf. c. 9.), atque de fuga Demosthenis ex pugna Chaeronensi (cf. c. 20.), p. 846. item in historia Harpalica, quae minus accurata esse atque credibilia, quam quae tradantur in vit. mai. c. 25 sq., vellem probasset censor noster, non iactasset modo p. 224;

tum in eis quae ibidem narrantur de legatione ad Arcades, ubi, cum dicatur Polyeuctus legatus missus esse in vit. mai. c. 27. cum aliis non nominatis, conieci Polyeuctum caput legationis fuisse: hanc coniecturam omni ratione carere ait censor noster; at dum me vituperat, in idem vitium incidit, certe scire velim qua ratione eius nitatur coniectura, auctorem hoc in loco legationem illam cum alia confudisse priore (p. 841. E.), cui interfuisset Polyeuctus atque Demosthenes; Hyperidem quidem pro Polyeucto nominat Iustin. XIII. 5, sed non sequitur ut hoc verius sit; fortasse uterque missus est hique sunt οἱ πρεσβεύοντες Plutarchi in vita maiore. Eadem ratio est reliquorum pene omnium, quae dicuntur de bello Lamiaco p. 846. coll. vit. mai. c. 27, de morte Demosthenis p. 846 sq. coll. c. 29 sq., de cognomine Βάταλος coll. c. 4, deque pecuniis a rege Persarum acceptis p. 847.

Haec omnia num sunt pauca, num minuta, num forte casuque mutata? Ego quidem, quoquo me vertam, non possum facere quin fatear, ea admodum esse numerosa, satis gravia atque consulto etiam mutata. Ponas alium quendam harum vitarum auctorem esse: qui, quaeso, factum esset, ut ille toties a Plutarcho, gravissimo locupletissimoque teste, recederet neque tot aliis scriptoribus laudatis ipsius unquam librum commemoraret? Vides iamiam, nihil propius a veri similitudine abesse, quam si ponamus, Plutarchum utriusque auctorem esse eumque, quae in priore vita scripsisset, in posteriore amplificare et emendare voluisse, itaque congessisse quae amplificationi et emendationi olim instituendae inservire possent. Nam omnia quae in minore vita tradantur meliora emendatioraque esse nunquam dixi; ineptit ipse qui me tantopere ineptire potuisse fingit. Verum nonnulla cum sint haud dubie meliora emendatioraque, iure dicere poteram, fontes Plutarchum iterum atque accurate perscrutatum esse; reliquorum, quae minus recte scripta sunt, quaedam ex

negligentia profecta esse possunt, plurima patet non nobis scripta esse, sed ipsi auctori in futurum usum quantumvis accurate componenda, illustranda, emendanda.

Restat ut dicamus de eis quae hac in minore vita ex maiore repetita sunt. Quanta haec esse cuiusque generis censuerit censor noster, apparet ex verbis eius supra allatis. At veras repetitiones, quae in eo constant, ut novi nihil accedat, paucissimas ibi inveniri certissimum est. Huc a censore p. 225. referri quod p. 844. D. de actione Midiana legitur, facile patior, quanquam ibi quoque additum est quod olim omiserat, id quod aegre eo removeas ut sumas, scientibus lectoribus Plutarchum scripsisse; namque uti nostro, ita Plutarchi quoque tempore iam multi erant qui quae litis a Demosthene in Midiam illatae caussa fuisset ignorarent. Itaque vera repetitio, si volumus ad vivum resecare, una tantum inest, ea dico quae leguntur p. 847. B. *ἡνίκα δὲ Φίλιππος ἐτεθνήκει, λαμπρὰν ἐσθῆτα προῆλθεν ἔχων, καίτοι τῆς θυγατρὸς αὐτοῦ νεωστὶ τετελευτηκυίας, ἐφηδόμενος τῷ τοῦ Μακεδόνος θανάτῳ.* Hic enim solus locus est, qui in brevius contracta nullaque accessione facta ea continet quae in vit. mai. c. 22. prolata erant. Reliqua omnia quoniam aucta, amplificata, mutata, emendata comparent, pro veris repetitionibus non sunt habenda, quanquam fieri non potuit quin de iisdem rebus sermo esset; nam qui aliter augere, amplificare, mutare, emendare potuisset? Potuisset sane, si quae nova haberet in margine exemplaris sui adscripsisset. Quod cur non fecerit, quis dicat? Non fecit, satis est. Condidit collectanea in quae coniiceret materiem vitae Demosthenicae aliquando accuratius scribendae; itaque necesse erat ut in easdem res iterum incideret. Id ipsum autem rem conficit, quod nihil fere ex vita maiore vere repetiit, quanquam in ea non pauca insunt quae hic desunt; scilicet in his nihil mutandum habuit; erraret autem qui putaret, haec eum intacta reliquisse, quasi

ea damnaret nec in vita Demosthenis denuo scribenda amplius respicienda esse crederet. Semel eum a proposito tantum aberrasse non est mirum, praesertim in parte vitae posteriore, cum non semper maiorem vitam eum ad manum habuisse verisimile sit. Scilicet hic quoque, uti in reliquis oratorum vitis, sic instituit, ut primum quae in promptu haberet conscriberet, post diversis temporibus prout occasio daretur alia raptim subiiceret; hoc certe ponere non absurdum est, cum usque ad p. 847. B. (*δύο καὶ εἴκοσιν*) omnia quodam modo cohaereant, uno excepto loco, qui est de partibus ab oratore in administranda republica actis p. 844. F. *ἐπεὶ δὲ τῷ πολιτεύεσθαι — πολλοὺς ἄλλους πρὸς τούτοις*, quique rerum ordinem tam vehementer perturbat, ut eum ad marginem adscriptum et alieno loco in textum post illatum esse suspiceris.

His omnibus opinor efficitur, ut censor noster non effecerit quod effecisse sibi visus est, ut nostram argumentationem non refutaverit, immo eam magis etiam confirmandi peropportunam nobis occasionem dederit, omnino nihil in medium protulerit ex quo sequeretur, Plutarchum harum vitarum auctorem esse non posse. Simul apparet, tam esse librum ipsum utilem ac pretiosum, quam eius usum difficilem ac lubricum. Sunt permixta bona malis, vera falsis, sed nihil spernendum quod Plutarchus ut adnotaret dignum habuit, immo perficiendum quod perficere nescio qua re auctor ipse impeditus est, bona veraque eruenda atque confirmanda, mala falsaque repudianda atque refellenda. Quod etsi ubique fieri posse plane desperandum est, duce tamen sana ratione et accurata huius temporis historiae cognitione in plurimis locis potest; praeterea tam prudentis est modestae dare aliquid nonnunquam divinationi, quam arrogantis omnia explicare, quam esse quod in medio relinquendum sit fateri malle. Quod utut est, vitae Demosthenicae scriptori hi duo libri pro potissimis fontibus habendi sunt.

Statim subiiciamus Plutarcho Photium, qui etsi tempore ab illo distat longissime, tamen re cum eo coniunctissimus est. Scilicet Photius in bibl. Codd. CCLIX—CCLXVIII. dedit vitas eorundem decem oratorum, quae quoniam cum Plutarcheis mirifice in erroribus quoque et ad verbum fere semper concinunt, *Taylorus* turpi errore eas a Plutarcho compilatas et erroribus auctas, rectissime reliqui omnes Plutarcheas a Photio exscriptas esse censuerunt. Has enim Photianis multo esse antiquiores nulla plane eget demonstratione, et antiquissimas esse neque multum ultra primum p. Chr. n. saeculum reponendas sequitur ex scriptoribus in eis laudatis, quorum extremi sunt Caecilius et Dionysius Halicarnassensis, dum in Photianis sequioris aetatis scriptores passim afferuntur, quales sunt Aristides, Libanius, Longinus, Aspasius, Paullus Mysius. Verum hoc quoque, ut nihil intactum relinqueret, censor noster sagacissimus p. 221. in dubium vocavit; quippe utrumque ex eodem fonte haurire potuisse, ita ut non mirum esset quod concinerent; tum in Plutarcheis auctores sequioris aevi data opera oppressos esse posse, quod suspicio esset, hunc librum a falsario quodam eo consilio compositum esse, ut Plutarchi esse videretur; praeterea aliter quoque sive consulto sive fortuito casu fieri potuisse, ut horum scriptorum mentio nulla iniiceretur. Quae vix est operae pretium refutare. Qui enim Plutarchea Photianaque accurate perlegerit et inter se comparaverit, intelliget haec ex illis vere exscripta esse, neque nisi qui, ut nihil concedat, vel ad incredibilia confugit credere potest tam aliquem ineptum fuisse, ut talem librum auctori illustrissimo supponere conaretur. At offendimur tamen, quod nusquam hunc suum fontem Photius indicat, id quod eo magis urgent, quod aliis locis Plutarchum nominat, immo ex vitis parallelis quaedam excerpsit Cod. CCXLV, in quibus sunt etiam p. 394. Demosthenica quae leguntur apud Plut. capp. 16. 22. 25. 26. Hoc ut expli-

ea damnaret nec in vita Demosthenis denuo scribenda amplius respicienda esse crederet. Semel eum a proposito tantum aberrasse non est mirum, praesertim in parte vitae posteriore, cum non semper maiorem vitam eum ad manum habuisse verisimile sit. Scilicet hic quoque, uti in reliquis oratorum vitis, sic instituit, ut primum quae in promptu haberet conscriberet, post diversis temporibus prout occasio daretur alia raptim subiiceret; hoc certe ponere non absurdum est, cum usque ad p. 847. B. (*δύο καὶ εἴκοσιν*) omnia quodam modo cohaereant, uno excepto loco, qui est de partibus ab oratore in administranda republica actis p. 844. F. *ἐπεὶ δὲ τῷ πολιτεύεσθαι — πολλοὺς ἄλλους πρὸς τούτοις*, quique rerum ordinem tam vehementer perturbat, ut eum ad marginem adscriptum et alieno loco in textum post illatum esse suspiceris.

His omnibus opinor efficitur, ut censor noster non effecerit quod effecisse sibi visus est, ut nostram argumentationem non refutaverit, immo eam magis etiam confirmandi peropportunam nobis occasionem dederit, omnino nihil in medium protulerit ex quo sequeretur, Plutarchum harum vitarum auctorem esse non posse. Simul apparet, tam esse librum ipsum utilem ac pretiosum, quam eius usum difficilem ac lubricum. Sunt permixta bona malis, vera falsis, sed nihil spernendum quod Plutarchus ut adnotaret dignum habuit, immo perficiendum quod perficere nescio qua re auctor ipse impeditus est, bona veraque eruenda atque confirmanda, mala falsaque repudianda atque refellenda. Quod etsi ubique fieri posse plane desperandum est, duce tamen sana ratione et accurata huius temporis historiae cognitione in plurimis locis potest; praeterea tam prudentis est modestae dare aliquid nonnunquam divinationi, quam arrogantis omnia explicare, quam esse quod in medio relinquendum sit fateri malle. Quod vero ad vitae Demosthenicae scriptores, hi duo libri pro primis fontibus habendi sunt.

Statim subiiciamus Plutarcho Photium, qui etsi tempore ab illo distat longissime, tamen re cum eo coniunctissimus est. Scilicet Photius in bibl. Codd. CCLIX—CCLXVIII. dedit vitas eorundem decem oratorum, quae quoniam cum Plutarcheis mirifice in erroribus quoque et ad verbum fere semper concinunt, *Taylorus* turpi errore eas a Plutarcho compilatas et erroribus auctas, rectissime reliqui omnes Plutarcheas a Photio exscriptas esse censuerunt. Has enim Photianis multo esse antiquiores nulla plane eget demonstratione, et antiquissimas esse neque multum ultra primum p. Chr. n. saeculum reponendas sequitur ex scriptoribus in eis laudatis, quorum extremi sunt Caecilius et Dionysius Halicarnassensis, dum in Photianis sequioris aetatis scriptores passim afferuntur, quales sunt Aristides, Libanius, Longinus, Aspasius, Paullus Mysius. Verum hoc quoque, ut nihil intactum relinqueret, censor noster sagacissimus p. 221. in dubium vocavit; quippe utrumque ex eodem fonte haurire potuisse, ita ut non mirum esset quod concinerent; tum in Plutarcheis auctores sequioris aevi data opera oppressos esse posse, quod suspicio esset, hunc librum a falsario quodam eo consilio compositum esse, ut Plutarchi esse videretur; praeterea aliter quoque sive consulto sive fortuito casu fieri potuisse, ut horum scriptorum mentio nulla iniiceretur. Quae vix est operae pretium refutare. Qui enim Plutarchea Photianaque accurate perlegerit et inter se comparaverit, intelliget haec ex illis vere exscripta esse, neque nisi qui, ut nihil concedat, vel ad incredibilia confugit credere potest tam aliquem ineptum fuisse, ut talem librum auctori illustrissimo supponere conaretur. At offendimur tamen, quod nusquam hunc suum fontem Photius indicat, id quod eo magis urgent, quod aliis locis Plutarchum nominat, immo ex vitis parallelis quaedam excerpsit Cod. CCXLV, in quibus sunt etiam p. 394. Demosthenica quae leguntur apud Plut. capp. 16. 22. 25. 26. Hoc ut expli-

carem, olim [119]) suspicatus sum, novisse quidem alios et compilasse Plutarchi vitas decem oratorum, sed non absolutas indicantes non nominasse et ad ipsos testes quos Plutarchus excitasset provocare maluisse. Quod neque tunc mihi satisfecit et nunc admonito a viro eruditissimo [120]) prorsus displicet. Videor mihi tamen hoc nunc alio eoque multo simpliciore atque rectiore modo posse explicare. Scilicet auctorem reticere minime praeter morem est Photio, praesertim ubi sermo est de vitis scriptorum antiquorum quos recenset. Solet enim primum scripta alicuius quae invenerit vel legerit enumerare, tum ipsa aut breviter describere aut optima quaeque ex iis decerpere, denique si placet quaedam de vita scriptoris subiicere, et haec quidem nunquam nominato auctore, ita ut quae habet de Appiano Cod. LVII. p. 17. A, de Arriano Cod. LVIII. p. 17. B, de Dione Cassio Cod. LXXI. p. 35. B, de Theopompo Cod. CLXXVI. p. 120. B, alia, unde habeat obscurum sit. Itaque obscurum item esset, unde desumpta quae habet de decem oratoribus, nisi servatus nobis esset fons primarius, Plutarchi vitae decem oratorum. At obiiciat aliquis, quae referat Photius de vita Appiani, Arriani, Dionis, Theopompi, aliorum tam esse pauca tamque minuta, ut unde ea haberet adnotare plane superfluum fuisset, contra quae l. l. de oratoribus referat tantum non omnia in eorum rebus gestis versari illustrandis. Sed tamen illa quoque quantumvis brevia minutaque aliunde habet nec sibi ipsi debet; pauca autem de eorum vitis memoriae tradi minime mirum, si ponamus, illos ipsos viros non tam accuratos copiososque vitae enarratores naetos esse quam oratores; hi autem oratores, qui magnam partem ad ipsam rempublicam accesserunt, nisi quae gessissent explicaretur paullo uberius, recte cognosci non poterant. At

---

119) In comment. d. auct. vitt. dec. oratt. p. 16. annot. 37.
120) Sintenisio in cens. l. l. n. 4. p. 39.

γῶν συντελεῖν. Verum vel sic opus imperfectum esse videtur. Posteaquam enim primum quaedam de genere eius et educatione, tum plura de studiis oratoriis protulit, ad historiam ipsam transit his verbis: *ἀναγκαῖον δὲ διηγήσασθαι καὶ ὅπως εἶχε τά τε τῶν Ἑλλήνων καὶ τῶν Ἀθηναίων πράγματα, ὅτε ἐπὶ τὸ δημαγωγεῖν ἦλθε Δημοσθένης*, ac sermonem facit de statu rerum post pugnam Leuctricam, de bello sacro atque sociali, denique de genere Philippi eiusque in regnum paternum introitu et erga Athenienses, qui alium regem facere gestiebant, clementia. Haec omnia quis dicat ita comparata esse, ut inde status rerum Graecorum atque Atheniensium, qualis erat circa tempora Demosthenis, intelligi possit? Accedit quod sermo in media fere sententia extemplo abrumpitur. Nam qui legit haec: *Ἀθηναῖοι δ' ἄρ' ἕτερόν τινα, γένους μὲν ὄντα τοῦ βασιλικοῦ, φυγάδα δ' ἐκ Μακεδονίας, ἐπὶ βασιλείαν κατῆγον μετὰ πολλοῦ πλήθους στρατιωτῶν. τούτοις ὁ Φίλιππος ἐπιθέμενος ἐνίκησε μάχῃ· καὶ ὅσους συνέλαβεν αἰχμαλώτους τῶν Ἀθηναίων, ἀφῆκεν ἄνευ λύτρων, οὐ κατ' εὔνοιαν τῆς πόλεως οὐδὲ δι' ἐπιείκειαν τρόπου*, non potest facere quin requirat, ut quale regis consilium fuerit revera accuratius exponatur et, cum dictum sit quae caussa non fuerit, vera caussa iamiam subiiciatur, qua permotus talem sese erga Athenienses praebuerit. Neque expletur haec lacuna, etiamsi statim annectas praefationem ad orationes Olynthiacas, multoque minus, si ipse auctor vitae protinus subiunxit caput *περὶ τῶν μερῶν τῆς ῥητορικῆς*, quod ut videtur in omnibus libris mss., in quibusdam omisso titulo continuis versibus adiunctum legitur. Itaque censeo, extremam vitae partem excidisse. In ipsa vita nihil fere inest quod non aut ex Demosthene et Aeschine aut ex Plutarcho iam cognitum habeas; hos, inprimis oratores, Libanium diligenter legisse sponte apparet, sed aliis quoque eum operam dedisse ponere licet, cum quaedam ex aliorum sententia, omissis tamen nominibus, referat, quae nondum apud Plutarchum comparuerunt,

uti quod dicit p. 5. vs. 13 sqq. ed. Bekk. de palaestra a Demosthene non frequentata, ibid vs. 16 sqq. de Batalo, vs. 29 sqq. de eius orationibus adversus tutores scriptis. In his fuisse Dionysium Halicarnassensem, quem laudat etiam in cap. d. partt. rhet. p. 7. vs. 27, videtur ex eo colligi posse quod p. 5. vs. 31. dicit ὀκτωκαίδεκα γὰρ ἐτῶν ἦν, ὅτε πρὸς τούτους ἠγωνίζετο. Hoc enim apprime convenit Dionysii de anno natali oratoris opinioni. Novum item et fere inauditum est quod habet p. 6. vs. 4. μετὰ μέντοι τούτους τοὺς ἀγῶνας βραχὺ τῇ ἡλικίᾳ προελθὼν σοφιστεύειν ἐνεχείρησεν. Non dubito quin hoc depromptum sit ex locis orat. Aesch. adv. Timarch. p. 16. §. 117, ἔστι δ' ὁ μὲν πρῶτός μοι λόγος προδιήγησις τῆς ἀπολογίας ἧς ἀκούω μέλλειν γίνεσθαι, ἵνα μὴ τοῦτο ἐμοῦ παραλιπόντος ὁ τὰς τῶν λόγων τέχνας κατεπαγγελλόμενος τοὺς νέους διδάσκειν ἀπάτῃ τινὶ παραλογισάμενος ὑμᾶς ἀφέληται τὸ τῆς πόλεως συμφέρον, p. 24. §. 171. ἐλπίδων κενῶν ἐμπλήσας ὡς αὐτίκα δὴ μάλα τῶν ῥητόρων πρωτεύσοντα, κατάλογον ἀποφαίνων [ῥητόρων ὑπ' αὐτοῦ γεγενημένων], p. 25. §. 175. μηδενὶ δὴ τρόπῳ καθ' ὑμῶν αὐτῶν γέλωτα τῷ σοφιστῇ καὶ διατριβὴν παράσχητε, ἀλλ' ὑπολάβεθ' ὁρᾷν εἰσεληλυθότα ἀπὸ τοῦ δικαστηρίου οἴκαδε καὶ σεμνυνόμενον ἐν τῇ τῶν μειρακίων διατριβῇ καὶ διεξιόντα ὡς εὖ τὸ πρᾶγμα ὑφείλετο τῶν δικαστῶν. Quod tantum abest ut abiiciam, ut veri aliquid subesse credam. Confirmatur res testimonio Plutarchi de Cinea oratore, propter ingentem memoriam laudato a Cic. Tusc. I. 24. Senec. Contr. I. prooem. p. 66. ed. Bip. Quippe ille in vit. Pyrrh. c. 14. ἦν δέ τις Κινέας Θεσσαλὸς ἀνήρ, τῷ μὲν φρονεῖν δοκῶν ἱκανὸς εἶναι, Δημοσθένους δὲ τοῦ ῥήτορος ἀκηκοώς.

Praeterea in ipsis Libanii orationibus quaedam insunt quae ad Demosthenem vel maxime spectant; de quibus ut recte iudicari possit, res altius aliquanto repetenda est. Scilicet ex quo Graecis erepta est libertas, eloquentia, libertatis alumna, a summo fastigio protinus deiecta in scholas rhetorum confugit ibique admi-

Senecae, Quinctiliani, aliorum [121]), — aut argumentum ex historia depromptum est, velut quod tractavit Himerius, Eclog. 5. p. 124. ed. Wernsd. *μετὰ τὰ Μηδικὰ ἐψηφίσαντο πρὸς τοὺς βαρβάρους Ἀθηναῖοι πόλεμον· πυθόμενος ὁ βασιλεὺς ὑπέσχετο τὰ λελυμασμένα ἐπανορθώσασθαι, εἰ τὸν πόλεμον καταλύσειαν· βουλομένων αὐτῶν Θεμιστοκλῆς ἀντιλέγει,* sive quod Libanius t. IV. p. 348. *οἱ Ποτιδεᾶται ἀλλήλων ἐγεύσαντο πολιορκούμενοι ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων καὶ κρίνονται Ἀθηναῖοι ὑπὸ Κορινθίων ἀσεβείας,* sive quod Sopater l. l. p. 239. *Ἀλεξάνδρου ἐπιόντος ἔπεμψαν Θηβαῖοι πρὸς Μεσσηνίους συμμαχίας δεόμενοι· οὐκ ἀπηγγείλαντο τὴν βοήθειαν· κατεσκάφησαν Θηβαῖοι· καὶ κρίνονται μετὰ τὸν ἀνοικισμὸν ὑπ' αὐτῶν ἀχαριστείας Μεσσήνιοι.* In his saepe numero occurrunt Miltiades, Themistocles, Pericles, Alcibiades; nullus tamen virorum bene de republica meritorum tam frequenter ab inferis revocatus tamque variis modis tractatus est quam Demosthenes. Non alienum a nostra re esse videtur et ad probandum id quod volumus necessarium, indicem declamationum ex historia Demosthenis repetitarum, quarum quidem notitia ad nos pervenit [122]), hic subiicere. Ac primum huc referendae

Aristidis orationes Leptineae [123]), item *συμμαχικὸς α'. β'. Φιλίππου δίοδον αἰτοῦντος παρὰ Θηβαίων ἐπ' Ἀθηναίους ἥκουσιν Ἀθηναῖοι ἑκόντες ἑαυτοὺς εἰς συμμαχίαν διδόντες,* t. I. p. 711—750. ed. Dind., quanquam

---

121) Vide praeter Senecae suasorias et controversias, declamationes Quinctilianeas, Sopatri *διαιρέσεις ζητημάτων* (Rhett. Walz. t. VIII. p. 1—385, inprimis Anonymi LXIX *προβλήματα ῥητορικὰ εἰς στάσεις*, quae primum edidit Chr. Walz in Rhett. t. VIII. p. 402—413.

122) Confectus iam erat hic index, cum prodiit Rhetorum Walzii volumen ultimum indicibus locupletissimis instructum, ex quibus quaedam huc me transtulisse fateor, quae in tanta rerum futilium copia laborantem non potuerunt non effugere.

123) De harum editoribus dixi in hist. eloqu. t. I. App. XI. p. 323.

non ipsius Demosthenis nomine inscripti; deperdita est, si unquam scripta, eiusdem declamatio, cuius argumentum, ut refert or. sacr. 4. t. I. p. 507, *Δημοσθένης τοῦ Ἀλεξάνδρου ἐν Ἰνδοῖς ὄντος συμβουλεύων ἐπιθέσθαι τοῖς πράγμασιν.*

Hermogenes exempli caussa proponit haec: *Αἰσχίνης καὶ Δημοσθένης ἀπὸ τῆς παρὰ Φίλιππον ἥκοντες πρεσβείας ἀντεγκαλοῦσιν ἀλλήλοις δώρων, ἐπειδὴ ὁ μὲν χρυσίον εὕρηται κατορύττων ὁ Δημοσθένης, ὁ δὲ ἀπολογίαν παραπρεσβείας γεγραφὼς ὁ Αἰσχίνης*, d. partit. 3. t. III. p. 28. Rhett. Graec. ed. Walz, quod repetit Matthaeus Camariota ibid. t. VI. p. 616, Sopater in Schol. *εἰς στάσεις* ibid. t. IV. p. 317, sed ita ut addat, *καὶ Ὑπερίδης ἀμφοτέρων κατηγορεῖ*, item paullo aliter Idem *διαιρ. ζητημ.* ibid. t. VIII. p. 16. 19. coll. Schol. Anon. *εἰς στάσ.* t. VII. p. 292. — *μετὰ Χαιρώνειαν ἔπεμψε Φίλιππος διδοὺς αἵρεσιν ἢ τοὺς δισχιλίους αἰχμαλώτους λαμβάνειν ἢ τοὺς χιλίους νεκρούς· ἔπεισε Δημοσθένης τοὺς χιλίους ἑλέσθαι νεκρούς, καὶ ἀποκτείναντος Φιλίππου τοὺς αἰχμαλώτους δημοσίων ἀδικημάτων φεύγει*, d. partit. 5. p. 41, quod repetunt Matth. Camariot. l. l. p. 621, Anon. schol. *εἰς στασ.* t. VII. p. 499. 510. — *ἐν τρισὶν ἡμέραις περὶ πολέμου βουλεύεσθαι νόμος ἐκέλευεν· Ἐλάτειαν ἔχοντος Φιλίππου γράφει Δημοσθένης αὐθημερὸν ἐξιέναι*, d. partit. 7. p. 48, repetitum a Matth. Camariot. l. l. p. 624. — *πρεσβεύων Αἰσχίνης παρὰ τὸν Φίλιππον ἐτραγῴδησε, νενίκηκεν, ἐστεφάνωται, καὶ κρίνεται παραπρεσβείας ὑπὸ Δημοσθένους*, d. invent. I. 1. p. 67. — *κατατρέχει Χερρόνησον Φίλιππος, γράφει Δημοσθένης διορύξαι τὸν ἰσθμόν*, d. invent. III. 4. p. 108, 5. p. 115, quod repetunt Matth. Camariot. l. l. p. 637, Ioannes Doxopater in homil. in Aphthon. Rhett. Walz. t. II. p. 103, qui ad Chaeroneam illud refert, nisi ibi *Χερρόνησον* pro *Χαιρώνειαν* scribendum est. — *πέπομφεν ἑκατὸν τάλαντα Φίλιππος πρίασθαι βουλόμενος τὸν Δημοσθένην*, d. invent. III. 10. p. 130. — *εἰ Δημοσθένην αἰτοίη Φίλιππος*, d. invent. III. 11. p. 135.

Extat etiamnunc sub nomine Luciani ἐγκώμιον Δημοσθένους, de quo infra dictum est.

Supersunt apud Photium in bibl. Cod. CCXLIII. fragmenta Himerii ἐκ τοῦ ὑπὲρ Δημοσθένους Ὑπερίδου, p. 20—39. ed. Wernsdorf, — ἐκ τῆς μελέτης ἧς Δημοσθένην εἰσάγει συμβουλεύοντα κατάγειν Αἰσχίνην, φήμης ῥυείσης ὅτι Ἀλέξανδρος τοὺς φυγάδας κατάξει, ibid. p. 40—65.

Extant item Libanii λόγος ἐπὶ τῷ τοῦ Δημοσθένους ὀνόματι κατ' Αἰσχίνου πυλαγόρου, t. III. p. 396—433. ed. Reisk., — μελέται· μετὰ τὰ ἐν Χαιρωνείᾳ Φίλιππος ἐξῄτησε Δημοσθένην· ὁ δῆμος ᾔτησε πέντε ἡμέρας σκέψεως· ἐν ταύταις ὁ Δημοσθένης ἀποθνήσκειν ἀξιοῖ, t. IV. p. 240—253, quod argumentum retractat ibid. p. 817—826. — ἐξῄτησεν ὁ Φίλιππος τὸν Δημοσθένην· καὶ κατέφυγεν ἐπὶ τὸν τοῦ Ἐλέου βωμὸν ὁ Δημοσθένης· ἀποσπασθεὶς ἐξεδόθη καὶ ἀφεθεὶς ὑπὸ τοῦ Φιλίππου γράφει παρ' Ἀθηναίοις ἀνελεῖν τὸν βωμόν, ibid. p. 253—265. — μετὰ τὰ ἐν Χαιρωνείᾳ ἔπεμψε Φίλιππος ὑπισχνούμενος τοὺς χιλίους αἰχμαλώτους, εἰ λάβοι Δημοσθένην· ἀξιοῖ Δημοσθένης ἐκδίδοσθαι, ibid. p. 266—279. — ἐκδοθεὶς Φιλίππῳ Δημοσθένης, ἀφεθεὶς καὶ μὴ πολιτευόμενος κρίνεται δημοσίᾳ, Δημοσθένους ἀπολογία, ibid. p. 280—323. — νόμος τὸν ξενίας ἁλόντα πιπράσκεσθαι· ἑάλω ξενίας ὁ Δημοσθένης· ἔπεμψε Φίλιππος ὠνούμενος αὐτόν· γράφει Δημάδης διδόναι, Ὑπερίδης δημόσιον εἶναι, ibid. p. 323—335. — ἐγκώμιον Δημοσθένους ibid. p. 948—952. — σύγκρισις Δημοσθένους καὶ Αἰσχίνου ibid. p. 1000—1004, item

Nicolai σύγκρισις Αἰσχίνου καὶ Δημοσθένους, t. I. Rhett. Walz. p. 358—361. — σύγκρισις Περικλέους καὶ Δημοσθένους ibid. p. 378—381.

Severi ἠθοποιίαι, τίνας ἂν εἴποι λόγους Αἰσχίνης εὑρὼν παρὰ Δημοσθένει εἰκόνα Φιλίππου, ibid. p. 539 sq. — τίνας ἂν εἴποι λόγους Αἰσχίνης ἐν τῇ φυγῇ Δημοσθένους διδόντος αὐτῷ ἐφόδιον, ibid. p. 540 sq.

Sopatri tractatio quaestionum: Δημοσθένει φεύγοντι ἐγράφη καθόδου ψήφισμα· Δημάδης ἀντείρηκεν, οὐδὲν ἧτ-

τον ὁ δῆμος ἐψηφίσατο· κατιὼν Δημοσθένης εὕρηται νεκρὸς ἀσκύλευτος καὶ κρίνεται Δημάδης φόνου, in διαιρ. ζητημ. t. VIII. Rhett. Walz. p. 14—19. — ἀπολλυμένου χρυσίου ἐξ ἀκροπόλεως εὑρέθη Δημοσθένης λόγον ὑπὲρ ἱεροσυλίας γράφων καὶ Αἰσχίνης ἐπ' ἐρημίας κατορύττων χρυσίον, καὶ ἀντεγκαλοῦσιν ἀλλήλοις, ibid. p. 19—21, coll. p. 16. — Εὔβουλος ἐγράψατο Ἀρίσταρχον ἐπὶ τῷ Νικόδημον πεφονευκέναι· πρὸ τῆς δίκης ἔφυγεν Ἀρίσταρχος καὶ κρίνεται Δημοσθένης συνειδότος, ibid. p. 42—50. — Δημοσθένης ἐπέμφθη στεφανώσων Ἀλέξανδρον· εὑρὼν Θήβας κατεσκαμμένας οὐκ ἐστεφάνωσε, καὶ ἐπανελθὼν κρίνεται δημοσίων, ibid. p. 205—220. — ἔγραψεν Ἀλέξανδρος μετὰ τὴν Δαρείου νίκην, ὡς εὕροιεν ἐν τοῖς λογισμοῖς Δαρείου πεντήκοντα τάλαντα εἰληφότα Δημοσθένην, καὶ κρίνεται παρ' Ἀθηναίοις προδοσίας Δημοσθένης, Idem in schol. ad Hermog. t. IV. p. 91. 316. coll. Apsin. rhetor. fragm. t. IX. p. 491. Walz. — κρίνεται Δημοσθένης ἐπὶ τοῖς ἁρπαγεῖσι χρήμασιν ἐν Ἀρείῳ πάγῳ καὶ παραγράφεται ἀξιῶν ἐν τῇ ἡλιαίᾳ κρίνεσθαι, t. IV. p. 316. — ὁ Δημοσθένης μετὰ τὴν ἐν Χαιρωνείᾳ μάχην ἑαυτὸν προσαγγέλλει, sive ὁ Φίλιππος δέδωκε τοῖς Ἀθηναίοις αἵρεσιν ἢ τὸν Δημοσθένην ἢ τὰς τριήρεις ἔχειν· ᾔτησε τρεῖς ἡμέρας εἰς βουλὴν καὶ ἑαυτὸν προσαγγέλλει, t. V. p. 44.

Ex his aliisque locis, ubi res breviter magis perstringitur quam accurate exponitur [124]), apparet, certatim rhetores ex Demosthenis historia materiem declamandi desumpsisse. Iam in eis quae attuli historiae illius temporis vel mediocriter peritus facile intelligit, paucissima inesse ad veritatem quodam modo accom-

---

124) Vid. Hermog. progymn. in Rhett. Walz. t. I. p. 23. 65, Aphthon. progymn. ibid. p. 87. 132, Theon. progymn. ibid. p. 229, Nicol. progymn. ibid. p. 344, Doxopatr. homil. in Aphthon. t. II. p. 269. 271. 276. 395. 418. 431. 433. 467, Hermogen. d. partit. l. t. III. p. 2. 3, d. form. orat. 1, 7. ibid. p. 237, Anonym. d. part. orat. ibid. p. 598, Schol. Hermog. t. IV. p. 90, Prolegg. εἰς στασ. t. VII. p. 24, Anonym. Schol. ibid. p. 129, Sopatr. διαιρ. t. VIII. p. 129, Apsin. fragm. rhetor. t. IX. p. 471. 475. 535.

modate inventa, plurima ab historia plane abhorrere tamque impudenter ficta atque ementita esse, ut sponte appareat, auctores ipsos ea minime pro veris haberi voluisse, sed tantum declamationibus suis argumentum ac nomen illustre quaesivisse, ut magis exsplendescerent ipsique ostentare possent acumen ingenii, quo expedirent se ex re omnibus fabulae veritatisque laqueis mirifice irretita. Quod genus declamationis ut exercitationis caussa inventum minime damnaverim, quia ingenium valde exercet atque acuit, dum non temere garriendum quicquid in buccam, sed omnia prudenter ad certam aliquam firmamque normam dirigenda sint, ut aliquam certe res veritatis speciem nanciscatur; quo pertinet, ut rerum gestarum ordo servetur, ut ad suum quemque ingenium accommodate loquentem faciat declamator, et quae sunt similia. Quod etsi infimo tempore adeo neglectum est, ut in ipsis de arte scriptis libris a praeceptoribus omnia misceri permitteretur [125], superiore tamen accuratius observatum esse docent declamationum modo laudatarum quae extant, inprimis Libanii, viri in historia illius temporis versatissimi; ibi enim omnia recte inter se apta atque nexa sunt, suo quodque ordine positum est, nihil praepostere incidit. Praeterea genus illud declamationis per se quoque habet quo commendetur; mirifice enim animus hac fabulosa veritate delectari solet, praesertim ubi auctor ingeniosa rei fictae tractatione efficit, ut veram non esse aegre tibi persuaderi patiare. Atque hoc quidem raro ab antiquis rhetoribus effectum est, quam culpam aetatis esse dicas nimium iam a virtute maiorum abalienatae; semper enim fere nimia verborum copia genus-

125) Matth. Camariot. epit. rhet. ap. Walz. t. VI. p. 606. ἔστι δὲ καὶ ἄλλα προβληματικὰ εἴδη, ἐγγὺς μὲν ἀσυστάτων, μελετᾶσθαι δὲ δυνάμενα· πρῶτον τὸ ἑτερορρεπές, — δεύτερον τὸ κακόπλαστον· οἷον μετὰ τὴν Νικίου ἐπιστολὴν γράφει τις Κλέωνα στρατηγεῖν· τέθνηκε γὰρ ὁ Κλέων πρὸ τῶν Σικελικῶν.

que non tam sententiis frequentatum quam verbis volucre atque incitatum monet, non vivam oratoris, sed fucatam declamatoris legi orationem. Neque eximendus ex hoc numero Libanius, licet Demosthenem tam sedulo sequatur, ut vel locum interdum, unde hoc vel illud depromptum et expressum sit, possimus indicare; raro tamen efficit, ut declamare eum obliviscamur, velut in apologia Demosthenis t. IV. p. 313 sqq. in descriptione ficti oratoris ad Philippum itineris per Graeciam; quam rem licet simplicius multo tractavisset, si occasio data esset, Demosthenes ipse seu quivis alius huius temporis orator, tamen Libanii quoque locus ille tam apte compositus est tantamque habet sententiarum gravitatem ac dolorem, ut cum delectatione aculeos etiam reliquerit in animis auditorum ipsoque foro haud indignus esse videatur.

Nec magis illud effecit Lucianus sive quiscunque auctor est encomii Demosthenis quod in libris Lucianeis continetur. Quam quaestionem a multis leviter perstrictam necdum a quoquam accurate pertractatam, quoniam gravissima est ac talis quam non tribus quattuorve verbis absolvas, hic missam faciamus, praesertim cum *Rankius* [126]) eam se expediturum esse iam dudum promiserit, nec quicquam ea referat ad nostram rem illustrandam. Scilicet etiamsi Lucianus huius libri auctor esset, non sequeretur, ut maior ei quam cuiquam alii fides habenda esset. Quantum enim saepe numero Lucianus a veritate sciens recesserit atque historiam ad peculiare suum consilium accommodaverit, non est quod multis demonstremus; neque vituperamus, dum modo non ipse aut alius eum pro historico haberi velit. Satis est admonere de praelectione Herodoti Olympiaca, quam a Dahlmanni argumentis defendens ne Kruegerus quidem ab omni suspicione vindicavit [127]).

---

126) In Encycl. l. l. p. 59. cf. Becker Litt. d. Dem. p. 29 sqq.
127) F. C. Dahlmann Forsch. auf d. Gebiet d. Gesch. II. 1.

modate inventa, plurima ab historia plane abhorrere tamque impudenter ficta atque ementita esse, ut sponte appareat, auctores ipsos ea minime pro veris haberi voluisse, sed tantum declamationibus suis argumentum ac nomen illustre quaesivisse, ut magis exsplendescerent ipsique ostentare possent acumen ingenii, quo expedirent se ex re omnibus fabulae veritatisque laqueis mirifice irretita. Quod genus declamationis ut exercitationis caussa inventum minime damnaverim, quia ingenium valde exercet atque acuit, dum non temere garriendum quicquid in buccam, sed omnia prudenter ad certam aliquam firmamque normam dirigenda sint, ut aliquam certe res veritatis speciem nanciscatur; quo pertinet, ut rerum gestarum ordo servetur, ut ad suum quemque ingenium accommodate loquentem faciat declamator, et quae sunt similia. Quod etsi infimo tempore adeo neglectum est, ut in ipsis de arte scriptis libris a praeceptoribus omnia misceri permitteretur [125]), superiore tamen accuratius observatum esse docent declamationum modo laudatarum quae extant, inprimis Libanii, viri in historia illius temporis versatissimi; ibi enim omnia recte inter se apta atque nexa sunt, suo quodque ordine positum est, nihil praepostere incidit. Praeterea genus illud declamationis per se quoque habet quo commendetur; mirifice enim animus hac fabulosa veritate delectari solet, praesertim ubi auctor ingeniosa rei fictae tractatione efficit, ut veram non esse aegre tibi persuaderi patiare. Atque hoc quidem raro ab antiquis rhetoribus effectum est, quam culpam aetatis esse dicas nimium iam a virtute maiorum abalienatae; semper enim fere nimia verborum copia genus-

---

125) Matth. Camariot. epit. rhet. ap. Walz. t. VI. p. 606. ἔστι δὲ καὶ ἄλλα προβληματικὰ εἴδη, ἐγγὺς μὲν ἀσυστάτων, μελετᾶσθαι δὲ δυνάμενα· πρῶτον τὸ ἑτερορρεπές, — δεύτερον τὸ κακόπλαστον· οἷον μετὰ τὴν Νικίου ἐπιστολὴν γράφει τις Κλέωνα στρατηγεῖν· τέθνηκε γὰρ ὁ Κλέων πρὸ τῶν Σικελικῶν.

que non tam sententiis frequentatum quam verbis volucre atque incitatum monet, non vivam oratoris, sed fucatam declamatoris legi orationem. Neque eximendus ex hoc numero Libanius, licet Demosthenem tam sedulo sequatur, ut vel locum interdum, unde hoc vel illud depromptum et expressum sit, possimus indicare; raro tamen efficit, ut declamare eum obliviscamur, velut in apologia Demosthenis t. IV. p. 313 sqq. in descriptione ficti oratoris ad Philippum itineris per Graeciam; quam rem licet simplicius multo tractavisset, si occasio data esset, Demosthenes ipse seu quivis alius huius temporis orator, tamen Libanii quoque locus ille tam apte compositus est tantamque habet sententiarum gravitatem ac dolorem, ut cum delectatione aculeos etiam reliquerit in animis auditorum ipsoque foro haud indignus esse videatur.

Nec magis illud effecit **Lucianus** sive quiscunque auctor est encomii Demosthenis quod in libris Lucianeis continetur. Quam quaestionem a multis leviter perstrictam necdum a quoquam accurate pertractatam, quoniam gravissima est ac talis quam non tribus quattuorve verbis absolvas, hic missam faciamus, praesertim cum *Rankius* [126]) eam se expediturum esse iam dudum promiserit, nec quicquam ea referat ad nostram rem illustrandam. Scilicet etiamsi Lucianus huius libri auctor esset, non sequeretur, ut maior ei quam cuiquam alii fides habenda esset. Quantum enim saepe numero Lucianus a veritate sciens recesserit atque historiam ad peculiare suum consilium accommodaverit, non est quod multis demonstremus; neque vituperamus, dum modo non ipse aut alius eum pro historico haberi velit. Satis est admonere de praelectione Herodoti Olympiaca, quam a Dahlmanni argumentis defendens ne Kruegerus quidem ab omni suspicione vindicavit [127]).

---

126) In Encycl. l. l. p. 59. cf. Becker Litt. d. Dem. p. 29 sqq.
127) F. C. Dahlmann Forsch. auf d. Gebiet d. Gesch. II. 1.

At in encomio Demosthenis mirum quantum aberrat auctor ab omni verisimilitudine; nam dum in priore parte raptim quaedam congerit quae ad vitam oratoris aliquatenus pertinent, in posteriore accurate de eius moribus ac morte disputans colloquentes facit Antipatrum atque Archiam, quorum hic ab illo Demosthenem, tanquam virum summi aestimandum et quovis pignore servandum, vivum adducere iussus re infecta ad dominum revertitur et mortem oratoris nuntiat. Quo nuntio accepto ira leviter Antipater excandescit, sed mox, cum Archias hanc subitam mentis mutationem admiretur, in longam Demosthenis laudationem erumpit, sive potius ea decantat quae in eius laudem a Philippo olim dicta accepisse iactat, usque eo dum defervescente iam aestu orationis Archias prodit et tanquam nuntius in tragoedia historiam de obitu Demosthenis recitat. Haec quam temere ficta sint quivis intelligit, nec magis quisquam huic fictioni unquam fidem habuit ac si quis finxisset, ad Salaminem Athenienses a Xerxe, ad Arbela Alexandrum a Dario victum esse. Et ipse quoque auctor quantum ineptiret sensit; quod ut aliquo certe modo excusaret nec sine omni ratione rem suam agere videretur, fictionem fictione confirmavit. Quippe cap. 26. Thersagoras, *Μακεδονικοῖς, εἶπεν, ἐντυχὼν τῆς βασιλικῆς οἰκίας ὑπομνήμασι, καὶ τότε ὑπερησθεὶς, τὸ βιβλίον οὐ κατὰ πάρεργον ἐκτησάμην, καὶ νῦν ὑπεμνήσθην ἔχων οἴκαδε. γέγραπται δ' ἄλλα τε τῶν Ἀντιπάτρῳ πραχθέντων ἐπὶ τῆς οἰκίας καὶ περὶ Δημοσθένους, ἅ μοι δοκεῖς οὐκ ἂν παρέργως ἀκοῦσαι*, immo cap. 44. Archias, ne diffidat Antipater memoriter omnia recitanti (quanquam scitius hoc auctor eo excusare poterat, quod olim Archias fabularum actor fuerat), *τοιαῦτα πολλὰ ἔλεγε· καὶ γὰρ οὖν ὑπογραφέας παρεστησάμην, ἵνα σοι τὰ λεχθέντα σώζοιτο.* Verum hoc est ineptias ineptiis compensare,

---

KRUEGER vit. Thucyd. p. 11 sqq. Adde BAEHR ed. Herod. t. IV. p. 380 sqq.

nebulas nebulis condensare. Non tamen negaverim, hoc in encomio, detractis eis quae ad inventionem pertinent, multa inesse praeclara, dictionem haud vulgarem, vividam, concinnam, sententias grandes ac severas, sal et leporem et facetias politissimas, quaedam vere Lucianea, ita ut auctorem, quisquis fuerit, subacti ingenii virum iure dicas; certe hic libellus a reliquis omnibus rhetorum commentis tantum toto habitu, inventione, compositione discrepat, ut intelligamus, non exempli caussa eum a ludi magistro discipulis propositum esse, cuiusmodi est sterilis Libanii eiusdem argumenti tractatio, sed scriptum a viro erudito ad exprimendam quovis modo summi oratoris admirationem.

Quae cum ita sint, apparet, vitam Demosthenis scribenti ab his scriptoribus plane abstinendum esse, non quasi omnia quae habent ementiti sint, sed quia vera cum falsis ita confuderunt, ut ea dignosci non possint nisi ab eo qui iam accuratam eiusdem rei cognitionem aliunde afferat. Itaque veris ad falsa comprobanda abutentes pro fontibus historiae haberi nullo modo possunt. Quin haud vana etiam suspicio est, iam antiquitus, ex quo hoc argumentum in scholis tractari coeptum est, quaedam inde falsa in historiam illata et ab aliis bona fide repetita atque propagata esse. Quo haud scio an referendum sit quod Plutarchus in vitt. dec. oratt. p. 845. E. de fuga Aeschinis adnotavit, quodque idem in vit. mai. c. 20. refert de epistolis Demosthenis praetorumque Darii rationibus Sardibus ab Alexandro repertis, ex quibus quantum pecuniae Demosthenes a Dario accepisset appareret. Qua cum narratione si comparas quae habet Pausan. II. 33, 3. sq. de indice pecuniarum Harpalicarum a Philoxeno Athenas misso, vix dubitabis utrumque inventum atque alterum alterius caussa excogitatum esse, fortasse a rhetoribus qui fictiones aliorum novis fictionibus refellere amabant, fortasse iam pridem ab ipsis oratoris inimicis et amicis, quorum ut illos gloriam eius quavis macula adsper-

gere, ita hos virum immortalem a quavis iniuria quovis modo vindicare voluisse consentaneum est. Sed nolo hoc pro certo affirmare, satis habens viam indicasse ac rationem qua errores in Demosthenis historiam immissi possent indagari.

Hoc ex numero eximendi sunt libri duo de vita Demosthenis scripti aetate infima et adhuc superstites, quorum auctores licet rhetores ipsi fuerint, tamen non fuci faciendi caussa scripserunt, sed ut haberent lectores quod eos sacris Demosthenicis quasi initiaret, vitas dico Zosimi Ascalonitae sive Gazaei atque quae Anonymi vulgo fertur [128]. Utriusque non magna est auctoritas; in utraque enim nihil continetur nisi nuda brevisque rerum Demosthenicarum, non omnium, sed potissimarum tantum enarratio, partim ex orationibus Demosthenis et Aeschinis, partim sine omni delectu ex aliis vitae scriptoribus congesta et excerpta. Insunt sane quaedam bona, alia nova, modo bona nova novaque bona essent. Tam inepta quam nova sunt quae Zosimus affert p. 147. ed. Reisk. de studiis Demosthenis Thucydideis: *ἐζήλωσε δὲ μάλιστα τῶν πρὸ αὐτοῦ τὸν συγγραφέα Θουκυδίδην καὶ τὰ πλεῖστα ἐκ τῶν ἐκείνου λόγων ἐπὶ τὸ πολιτικώτερον μετέφρασεν· καὶ οὕτως λέγεται αὐτὸν ἐκμεμαθηκέναι, ὥστε φέρεσθαί τι τοιοῦτον περὶ αὐ-*

---

128) Primus edidit has vitas a SCHWEIGHAEUSERO ex cod. bibl. reg. Paris. n. 2935. descriptas, quo accessit exemplum Zosimi Romanum, REISKIUS in Orr. Gr. t. IV. p. 145—159. Ego vero cum in VOEMELII mei notit. codd. Demosth. Part. III. p. 6. legissem, in codice Rehdigerano n. 134. inesse p. 1—4. et 7—11. duas vitas Demosthenis JUL. HELDIO V. D. auctore ineditas, a C. E. CH. SCHNEIDERO V. III. rogavi, ut has mihi, si fieri posset, describi curaret; et ille quidem qua est benignitate mea caussa codicem evolvit intellexitque, id quod ego quoque ante suspicatus eram, easdem esse illas vitas quas iam Reiskius l. l. ediderat; nihilo minus mihi propria manu descriptas misit ex codice Rehdigerano varias lectiones, quas licet minutas maximam partem et errores describentis, tamen ut ipsi iudicare possent lectores, in epimetro I. subiungere non dubitavi.

τοῦ, ὅτι ποτὲ καείσης τῆς βιβλιοθήκης ἐν Ἀθήναις καὶ συγκαεισῶν τῶν ἱστοριῶν Θουκυδίδου αὐτὸν μόνον ἀπομνημονεῦσαι πασῶν καὶ οὕτως μεταγραφῆναι ποιῆσαι, — tum de littera ῥῶ p. 148. οὕτως δὲ τοῦτο ἐπηνορθώσατο, ὥστε εἰσελθόντα εἰπεῖν τοῖς Ἀθηναίοις ἐκεῖνο τὸ περιφερόμενον· ἥκω φέρων ὑμῖν τὸ ῥῶ καταρερητορευμένον. διὰ τοῦτο δὲ εἶπε τὸ ῥῶ, ἐπειδὴ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον οἱ τραυλοὶ ἀεὶ περὶ τὸ γράμμα τοῦτο σφάλλονται, τὸ λ ἀντὶ τοῦ ρ προφέροντες [129]), — deinde de Harpalo Athenis in car-

129) Liceat hic expromere coniecturam de vocabulo *Βάταλος*, quam iam dudum animo conceptam postea a Passovio in lex. gr. s. h. v. confirmatam vidi. Cognomen hoc Demostheni inditum esse certissimum est; exprobrat Aesch. c. Tim. §. 126. 131. d. mal. gest. leg. §. 99, concedit Demosth. d. cor. p. 288. §. 180. Hinc vitae scriptores tantum non omnes certatim repetierunt: Plut. vit. c. 4. *ἦν γὰρ ἐξ ἀρχῆς κάτισχνος καὶ νοσώδης καὶ τὴν λοιδορουμένην ἐπωνυμίαν, τὸν Βάταλον, εἰς τὸ σῶμα λέγεται σκωπτόμενος ὑπὸ τῶν παίδων λαβεῖν. ἦν δ' ὁ Βάταλος, ὡς μὲν ἔνιοί φασιν, αὐλητὴς τῶν κατεαγότων, καὶ δραμάτιον εἰς τοῦτο κωμῳδῶν αὐτὸν Ἀντιφάνης πεποίηκεν. ἔνιοι δέ τινες ὡς ποιητοῦ τρυφερὰ καὶ παροίνια γράφοντος τοῦ Βατάλου μέμνηνται. δοκεῖ δὲ καὶ τῶν οὐκ εὐπρεπῶν τι λεχθῆναι τοῦ σώματος μορίων παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς τότε καλεῖσθαι βάταλος.* Id. vitt. dec. oratt. p. 847. E. *φασὶ δέ τινες καὶ ἀσώτως αὐτὸν βιῶναι γυναικείαις τε ἐσθῆσι χρώμενον καὶ κωμάζοντα ἑκάστοτε, ὅθεν Βάταλον ἐπικληθῆναι, οἱ δὲ ὑποκοριστικῶς ἀπὸ τοῦ ὀνόματος τῆς τροφοῦ λέγουσιν αὐτὸν οὕτω λελοιδορῆσθαι.* Liban. vit. p. 5. vs. 13 sqq. Bk. *ἦν μὲν ἀσθενὴς τῷ σώματι καὶ νοσώδης, ὥστε μηδὲ εἰς παλαίστραν φοιτῆσαι, καθάπερ πάντες οἱ τῶν Ἀθηναίων παῖδες εἰώθεσαν. ὅθεν καὶ ἀνδρωθεὶς ὑπὸ τῶν ἐχθρῶν εἰς μαλακίαν ἐσκώπτετο καὶ Βάταλος ἐπωνυμίαν ἔσχεν· ἱστόρηται γάρ τινα Βάταλον Ἐφέσιον αὐλητὴν γενέσθαι, ὃς πρῶτος ὑποδήμασι γυναικείοις ἐπὶ τῆς σκηνῆς ἐχρήσατο καὶ μέλεσι κατεαγόσι, καὶ ὅλως τὴν τέχνην ἐμάλθαξεν· ἀπὸ τούτου δὲ τοὺς ἐκλύτους καὶ ἀνάνδρους Βατάλους ἐκάλουν.* Cf. Phot. Bibl. cod. CCLXV. p. 495. A. In his omnibus, si quid video, parum inest veritatis, multum ineptiarum. Viam monstrat, quam vidit etiam, sed non persequutus est Plut. vitt. dec. oratt. l. l., Aeschines, qui in or. c. Timarch. §. 126. Demosthenem ipsum loquentem facit: *εἰ μὴ καὶ ἐμὲ δεῖ ὑπακούειν τοῖς ὄχλοις μὴ Δημοσθένην καλούμενον, ἀλλὰ Βάταλον, ὅτι ταύτην ἐξ ὑποκορίσματός τινος τίτθης τὴν ἐπωνυμίαν ἔχω.* Itaque nutrix ei nomen indidit. Quod si verum, apparet, prorsus illud ab omni obscoenitate, quae inest in voc. *βάταλος* (cf. Plut. l.

scriptores addi possunt [134]). At hi omnes num commentariis suis vitam oratoris praemiserint dici certo nequit, quanquam hunc morem rhetorum fuisse cum per se non incredibile est, tum docent **Zosimus** vitae scriptor, cuius commentarii quantumvis viles ac vulgares etiamnunc in bibliothecis asservantur [135]), et **Ulpianus**, qui in annot. ad Demosth. orat. adv. Timocr. §. 134. t. X. p. 271. Oratt. Att. ed. Dobson. haec habet: *ἦν γὰρ ἐπιδεικτικὸς σφόδρα ὁ Καλλίστρατος, ὅθεν καὶ ἀκούσας αὐτοῦ ἐπιδεικνυμένου ὁ Δημοσθένης εἰς ἐπιθυμίαν ἦλθε λόγων, ὡς εἰρήκαμεν ἐν τῷ βίῳ αὐτοῦ.* Ac tale quid de Callistrato legitur apud Suidam in particula capitis de Demosthene prima: *ἐπεθύμησε δὲ ῥητορικῆς Καλλίστρατον θεασάμενος τὸν ῥήτορα ὑπὲρ Ὠρωπίων λέγοντα.* Concludat aliquis, hanc primam particulam a Suida ex vita Ulpianea excerptam esse. Verum hac in re caute agendum est, quoniam pervulgaris haec inter veteres erat de Callistrato narratio ac tradita est non solum a Demetrio Magnete ap. Plutarch. vitt. dec. oratt. p. 844. B. (coll. vit. mai. c. 5.) et ab Hermippo ap. Gell. N. A. III. 13, verum etiam ab Libanio vit. Dem. p. 5, vs. 20 sqq. ed. Bekk. et a Zosimo vit. Dem. p. 147. Non magis liquet, unde alteram Suidas particulam deprompserit, quae, dum prima de praeceptoribus Demosthenis potissimum agit, tertia cuiusvis generis res promiscue congestas continet, in rebus eius maxime ad rempublicam pertinentibus versatur [136]). Itaque Anonymus quoque, quem excerptum habemus in particula tertia, magis quis non sit quam quis sit revera dici potest. Fuerit unus eorum quorum supra nomina ex Suida ipso dedimus, si quidem praeter commentarios vitam etiam

---

134) Vide quos aliunde diligenter congessit Meier praef. ad ed. Demosth. or. c. Mid. p. XV sqq.

135) Cf. Meier l. l. p. XX sq.

136) Hanc ex antiquioribus eisque melioribus fontibus profluxisse existimat Becker, Litt. d. Dem. p. 15.

Demosthenis scripserunt; quos enim memoratu dignos habet eum compilasse quam alium quenquam veri est similius. Ceterum quae Suidas habet nec nova sunt nec magni pretii.

Confidentius aliquanto affirmari potest, vitam Demosthenis scripsisse Marcellinum, virum in rebus oratoriis exercitatissimum [137]). Hic enim vitam Thucydidis exorditur hoc modo: *τῶν Δημοσθένους μύστας γεγενημένους θείων λόγων τε καὶ ἀγώνων, συμβουλευτικῶν τε καὶ δικανικῶν νοημάτων μεστοὺς γενομένους καὶ ἱκανῶς ἐμφορηθέντας, ὥρα λοιπὸν καὶ τῶν Θουκυδίδου τελετῶν ἐντὸς καταστῆναι* [138]). Haud parum etiam, si non vitas scripsit, ad illustrandum Demosthenem contulisse putandus est Hero Atheniensis libro *περὶ τῶν ἀρχαίων ῥητόρων καὶ τῶν λόγων οἷς ἐνίκησαν πρὸς ἀλλήλους* a Suida s. v. *Ἥρων* laudato.

Paucis liceat absolvere ultimum quem nescio quo iure vitae Demosthenicae scriptoribus adnumerant, Ioannem Tzetzam, grammaticum saeculi duodecimi. Quippe huius in Chiliad. VI. vs. 64—185. p. 198 sqq. ed. Kiessling. [139]) caput legitur *περὶ Δημοσθένους* tam inepte et perverse compositum, ut misereat vel mediocriter eruditos hominis, qui ausit sanctissima et praeclarissima quaeque temere proterere et conculcare, Thersitemque pro Achille pingere. Tzetzam si audis, Demosthenes vir erat omnium improbissimus atque impurissimus. Cuiusvis generis convicia cumulate in eum coniicit, quae partim summi viri aequalibus, partim rhe-

137) Si quidem idem est cuius scholia ad Hermogenem leguntur in Rhett. gr. ed. Walz. t. IV.

138) Ad hunc locum iam Hudsonus adnotavit, se credere, hanc dissertationem operis longioris esse fragmentum, quo videretur complexus fuisse vitas praestantiorum quorundam oratorum et historicorum. Simile est initium vitae Demosthenicae a Zosimo conscriptae, p. 145. ed. Reisk.

139) Cf. Eiusd. *ἐπιτομὴ ῥητορική* in Rhett. gr. ed. Walz. t. III. p. 677.

toribus accepta refert (cf. vs. 151.). Copiosissimus est de barbara eius origine, vestitu, corporis infirmitate similibusque minutiis, at quibus immortaliter de patria sua meruerit ea ne verbo quidem indicanda esse censet, sed silentio transit tanquam res futiles et inanes; ἀφίημι τὰ ἄλλα vs. 111. coll. vs. 163. Ipsos quidem oratores legit, quam tamen ex hac lectione captat auctoritatem vide quam ridicule ipsius stultitia evertat ac prosternat vss. 151 sqq.

αὐτὸς αὑτόν πῃ πλούσιόν φησιν ὁ Δημοσθένης,
τάλαντα δεκατέσσαρα οὐσίαν κεκτημένον.
ἄλλῃ δὲ πάλιν πού φησιν· εἰ ἦμεν τῶν πλουσίων,
στεφάνους οὐκ ἐπλέκομεν οὐδ' ἦμεν τῶν ἀπόρων.

Et haec quidem petita sunt ex or. Dem. adv. Eubulid. p. 1311. §. 35. Euxitheum tamen, non Demosthenem de se loqui ut sciat nimium est a Tzetza postulare. Adde monstrum legis atque fabulae vs. 178 sqq.

Δημάδου δὲ αἰτήσαντος οἱ Ἀθηναίων μόνοι
ῥήτορες ἀπετμήθησάν τὰς γλώσσας ἐν Ἀθήναις,
νόμῳ καὶ ψήφῳ Ἀττικῶν οὕτω πως δικασάντων.

Verum iam taedet indagare et corrigere quae funditus corrupta et opinionis pravitate infecta sunt. Quaedam inesse propter raritatem memorabilia, ut Aristogitonia vs. 93 sqq., non negaverim, verum haec ad Demosthenem nihil faciunt. Huius igitur historiae scriptor, praesertim cum tot alii suppeditent iique multo puriores atque uberiores fontes, ineptias istas procul habebit. Quae est enim, ut ait Cicero, in hominibus tanta perversitas, ut inventis frugibus glande vescantur?

EPIMETRUM I.

Varietas lectionis in Zosimi et Anonymi vitt. Demosth. ex cod. Rehdiger. N. CXXXIV. excerpta. (cf. p. 88. adn. 128.)

I. Zosimi vit. Demosth.

T. IV. orr. Gr. ed. Reisk.		Cod. Rehdig.
p. 145, 2.	θεῖα	θεία
4.	δεῖ	δὴ
6.	μηδὲ	μὴ δὲ
9.	προσευξάμενοι	προδεξάμενοι
antep.	χωρήσομεν	χωρήσωμεν
ult.	εὐτυχεῖ	εὐτυχῆ
	Παιανιέα	παιανιέον
p. 146, 2.	συνέκρυψεν	συνέκρυψε
5.	Ἰσοκράτους	ἰσοκ'
6.	γὰρ	δὲ
	Νυμφαῖον	νύμφαιον
8.	δυνάσταις	δυνασταῖς
10.	Σκυθίδα ἠγάγετο	σκυθίδ' ἀνηγάγετο
12.	ὑπὸ — γαμηθεῖσα	om.
13.	τῷ	om.
14.	ὄρφανος	ὀρφανὸς
16.	καταλειφθέντας	καταληφθέντας
17.	παρὰ	ὑπὸ
18.	ἔργον	om.
21.	τῶν	erasum est.
23.	τῶν	om.
24.	μιαροί	μή

	Ed. Reisk.	Cod. Rehdig.
p. 152, 4.	λέγωμεν	λέγομεν
9.	τοῦτο	τουτὶ
antep.	ἐν Ἀθήναις	ἀθηναίοις
ult.	προεξῆλθεν	προεξῆλθε
153, 4.	ἑτοιμάσας	ἑποιμάσας
6.	ἑαυτοῦ	αὑτοῦ
8.	δὲ	om.
9.	πατρῴου	πρῳόν
11.	δὲ	om.
14.	Θηριππίδην	θοριππίδην
16.	αὐτὴν	om.
21.	ἦν δ'	ἦν δὲ
22.	οἳ παρέσχον	οἳ παρέχον,
	παιδείας	παιδίας
23.	Δημοσθένης ἀγαθὰς	ἀγαθὰς δημοσθένης
antep.	χῶραν ἐξέπλησεν	χώραν ἐξέπλησσε
pen.	καλουμένης	κακουμένης
ult.	παρέδρευσεν	παρήδρευσεν
154, 2.	σχολικὴν	σχολαστικὴν
3.	τὸ	om.
6.	τὶ	om.
8.	τῆς ***** τοῦ	τῆς περὶ τὴν ἄσκησιν τοῦ uti coniecit Schweigh.
10.	πονεῖν	ποιεῖν
11.	καὶ φίλων	om.
12.	μέρος τῆς κεφαλῆς	τῆς κεφαλῆς μέρος
21.	σοφιστεῖαν	σοφιστείαν
22.	καὶ	om.
ult.	παρ' αὐτὸν	παρ' αὐτῶν
155, 1.	ὑπονοεῖν αὐτὸν	αὐτὸν, ὑπονοεῖν
2.	ποτὲ	τότε
3.	ἀπεναντίους	ὑπεναντίους
4.	δὲ	om.
9.	ἐτρανοποίει	ἐτρανωποίει
14.	μέρεσι τοῦ σώματος	τοῦ σώματος μέρεσιν
20.	παρ' αἰγιαλοὺς	παρὰ τοὺς αἰγιαλοὺς

	Ed. Reisk.	Cod. Rehdig.
p. 155, 21.	ἠιόσι	ἠόσι
26.	τῆς ὑποκρίσεως	τῶν ὑποκριτῶν
	οὕτως	οὕτω
antep.	ἀνδρειωτάτους	ἀνδρειοτάτους
pen.	πείθειν	πείθων
156, 1.	εἴποι	εἴπει
6.	ὕβρισεν ἐστεφανωμένον	ὕβρισ' ἐστεφανομένον
10.	Δημομέλη	δημομέλους
12.	παρῆκεν	παρέσχεν
21.	καὶ τὴν πατρίδα	om.
	ἐν κινδύνοις καὶ δουλείᾳ γιγνομένην	ἐν δουλεία καὶ κινδύνου γινομένην
ult.	δὲ	μὲν
	Ἰλλυρίους	ἰλλυριοὺς
157, 3.	τε	om.
5.	τὸν	om.
8.	λ'	τριάκοντα
9.	Ἁλόνησον	ἁλόννησον
10.	εἰς	ἐς
14.	τάχα ἂν τῆς πόλεως	τάχ' ἂν τῇ πόλει
21.	Φιλιππισμὸν καταγνόντες	φιλιππισμῶν καταγόντες
158, 15.	ι'	δέκα
16.	ἀπῆλθεν	ἀπῆλθε
23.	πρὸς Ἀντίπατρον	κατὰ ἀντιπάτρου
ult.	δ' ἔστιν	δέ ἐστιν
159, 1.	πρώτων	πρῶτον
4.	ἐξήτει	ἐζήτει
5.	ἐμπεποδικέναι	ἐμπεποδηκέναι
7.	καλαυρίαν	καλαβρίαν
11.	ὁ	om.
13.	τελευταῖον τοῖς Ἕλλησιν ἐντολὴν	τελευταίαν ἐντολὴν τοῖς ἕλλησιν
14.	σφραγίδος	σφαγῖδος
20.	Ἄρης	ἀνὴρ
21.	εὐφρονοῦσι	εὖ φρονοῦσι.

EPIMETRUM II.

Adnotationes in Plutarchi vitas decem oratorum.

Vit. Antiph. p. 832. F. *καὶ πρεσβεύων δὲ ἑκάστοτε ὑπ' αὐτῶν εἰς Λακεδαίμονα ἡνίκα ἐτετείχιστο Ἠετιώνεια.* Scribe *καὶ εἰς Λακεδαίμονα.*

Ibid. p. 834. A. *τῷ δὲ δημάρχῳ ἀποφῆναι τὰς οἰκίας αὐτῶν.* In libris mss. *τε οἰκίαν* legitur, quod in *τὴν οὐσίαν* sive *τὰς οὐσίας* mutandum arbitror. Sic Demosth. c. Boeot. d. dot. p. 1015. §. 22. *τῆς οὐσίας ἀπογραφείσης καὶ δημευθείσης.* c. Neaer. p. 1347. §. 7. *ἀπογραφήσεσθαι ἔμελλεν ἡ ὑπάρχουσα οὐσία.* c. Phaenipp. p. 1039. §. 1. *ἀπόφανσιν τῆς οὐσίας.* Adde Oecon. Aristot. II. 2, 5. Bekk. Anecd. gr. t. I. p. 199, 7. p. 304, 5. Aliud est apud Dem. c. Androt. p. 609. §. 54. *τὰ χωρία δημεύειν καὶ τὰς οἰκίας καὶ ταῦτ' ἀπογράφειν.* Hic enim *τὰ χωρία καὶ αἱ οἰκίαι* efficiunt *τὴν οὐσίαν*, aut quoniam pauperes sunt (de his enim sermo est), nihil praeter fundum sive domum possident, haec iis tota est *οὐσία*. Posset etiam scribi ap. Plut. *τὸν οἶκον*, quod idem est ac *τὴν οὐσίαν* (quid differat inter *οἰκία* et *οἶκος*, docet Valcken. ad Herod. VII. 224. cf. Herald. anim. in Salmas. obss. III. 6, 10.), dum usitatum fuisset dicere *ἀποφαίνειν* sive *ἀπογράφειν τὸν οἶκον.*

Vit. Andoc. p. 834. C. loco corruptissimo, *ἣν μετ' οὐ πολὺν χρόνον τοῦ ἐπὶ Σικελίαν στόλου συνέβη γενέσθαι, Κορινθίων εἰσπεμψάντων Λεοντίνους τε καὶ Αἰγεσταίους ἄνδρας, κτλ.*, aliquam medicinam afferri posse puto ex Plut. vit. Alcib. c. 18, ubi haec leguntur: *ἐλέχθη μὲν οὖν, ὅτι Κορίνθιοι διὰ τοὺς Συρακουσίους ἀποίκους ὄντας, ὡς ἐπισχέσεως ἐσομένης πρὸς τῶν οἰωνῶν ἢ μεταγνώσεως*

τοῦ πολέμου, ταῦτα δράσειαν. Itaque haec fere sententia auctoris esse videtur: ἣν μετ' οὐ πολὺν χρόνον πρὸ τοῦ ἐπὶ Σικελίαν στόλου συνέβη γενέσθαι ὑπὸ Κορινθίων (sive Κορινθίων πραξάντων). περὶ γὰρ βοηθείας πεμψάντων Λεοντίνων τε καὶ Αἰγεσταίων ἄνδρας κτλ.

Ibid. p. 834. F. ἐξέπεσε τῆς πόλεως τῶν τριάκοντα τὴν ἀρχὴν παραλαβόντων. Scribe ἐξέπεσε τῆς πόλεως ἕως τῶν κτλ.

Vit. Lys. p. 836. C. de epigrammate in Lysiam vide quae adnotavit C. Sintenis in Zeitschr. f. d. Alterthumsw. 1835. n. 5. p. 44 sq.

Vit. Isocrat. p. 836. F. Coraes in ed. Is. bene συνηγόρησε pro ἐσίγησε restituit.

Ibid. p. 837. A. in editione mea corrige, ut iubet Frankius in Iahnii Annal. 1834. XII. 2. p. 231. ἄλλοις δέ, ibid. p. 837. C. ἄλλοι τε.

Ibid. p. 837. B. Coraes προτρέψεσθαι recte pro προτρέψασθαι.

Ibid. p. 837. D. repone τὸν Κυαμίτην cum Clavigero ex Paus. I. 37, 3. cf. Lobeck. Aglaoph. t. I. p. 253.

Ibid. scribe κατὰ τὴν ἱερὰν ὁδὸν pro καὶ τὴν ἱ. ὁ., et paullo post ἀνέστησαν pro ἀνέστησε.

Ibid. Coraes pro ὁ νομοθέτης Ἀθηναίοις coniicit ὁ σοφιστεύσας Ἀθηναίοις, quod nimis violentum est. Nec prorsus necessarium videtur paullo post πωλοῦσιν pro πωλοῦμεν scribere.

Ibid. p. 837. E. Versuum Euripideorum primus depromptus est ex Archelao, vid. Anonym. d. Nili increm. p. 788. ed. Herod. Wessel., Athen. II. p. 87, alter ex Iphigenia in Tauris, tertius ex Phryxo altero, vid. Schol. Arist. ran. v. 1249. cf. Arist. ran. v. 1225. 1232.

Ibid. p. 837. F. scribe τὸν δὲ cum Reiskio pro τοὺς δέ, quod videtur profectum esse a librario cogitante de Philippicis Demosthenis.

Ibid. p. 838. A. εὐπόρησε δ', Coraes, deinde ἀλλὰ

pius in ed. ἐπετέλεσε ex decret. p. 852. C. (ubi tamen in libris ἀπετέλεσε) et Paus. l. l., quod non videtur esse necessarium.

Ibid. p. 841. D. Scribe Δεινίου pro Δινίου cum Corae et Baitero, qui simul contrarium vitium in vit. Dem. p. 846. A. Ἀριστονείκου recte tollit. Paullo ante non opus est ut scribatur πολλά τε et τοὺς νεωσοίκους, uti voluit Coraes.

Ibid. τοῦτο τὸ χωρίον ἀνέντος τῇ πόλει, περὶ παντὸς αὐτοῦ χαρίσασθαι Λυκούργῳ. Quod Sauppius affert ex Plut. vit. Arist. c. 11, ubi Sintenis comparat Plut. vit. Alex. c. 34. et Thuc. II. 74, ad explicandam quidem constructionem aliquid confert, sed minime omnem difficultatem solvit. Nec multum, opinor, lucramur coniecturis Kiesslingii, qui in ed. fragm. Lyc. p. 4. aut αὐτὸ περὶ παντὸς aut πᾶν τῶν αὐτοῦ scribi voluit. Aptius Coraes περὶ παντὸς αὐτοῦ [ποιησαμένου] χαρίσασθαι.

Ibid. p. 841. E. νόμους, τὸν περὶ τῶν κωμῳδῶν. „μὲν (post τὸν) quod est in edd. vett., incuria editorum omissum coniectura restituerat Coraes: v. de hac lege Boeckh. in comm. acad. Berol. 1818. p. 99 sqq. et Hanov. exerc. in com. gr. l. I. p. 74 sqq.“ Sauppius.

Ibid. p. 841. F. pro καταλέγεσθαι Coraes κατάγεσθαι praeter necessitatem coniicit.

Ibid. οὐκ ἐξεῖναι γὰρ αὐτὰς ὑποκρίνεσθαι. Hunc in locum certatim coniecturas effuderunt interpretes. Ac Wyttenbachius γὰρ in παρ' mutari voluit, quem sequutus ego in ed. mea γὰρ [παρ'] scripsi. Dobree in Adversar. I. 1. p. 163. coniecit ἄλλους, medius Grysar. d. Gr. trag. circ. temp. Demosth. p. 9. αὐτὰς ἄλλας, in quam item coniecturam, misso tamen αὐτὰς, incidit Sauppius in ed. coll. Zeitschr. f. d. Alterth. a. 1836. n. 52. p. 421. Ego vero ibid. a. 1834. n. 134. p. 1074. αὐτοὺς pro αὐτὰς proposui (quod Reiskio iam in mentem venerat, sed non recte ab eo explicatum erat), idque sensu praegnanti, quod dicitur, accipiendum esse

volui, hoc modo: „*es solle nicht erlaubt seyn, dass sie selbst, d. i. aus eigener Machtvollkommenheit, nach Willkühr ihre Rolle spielten, sondern es solle diess vorschriftsmässig geschehen.*" Nunc demum ex Sauppii adnotatione primum video, iam dudum God. Hermannum in diss. II. de choro Eumenidum Aeschyli p. 18. (Opuscc. t. II. p. 155.) eodem plane modo hunc locum accepisse. Nissenii commenta de hoc loco in diss. de Lyc. orat. vit. et reb. gest. (Kil. 1833. 8.) p. 90. et in Addend. satis explosa sunt a Sauppio Zeitsch. f. d. Alt. 1836. p. 421. et a me in Iahnii Annall. l. l. p. 290 sq.

Ibid. p. 842. A. *ἐλεύθερον σῶμα.* Meziriacus *ἀπελεύθερον* scripsit, quod probare non debebant Nissen. l. l. p. 90 sqq., Blume l. l. p. 14, 69, Sauppius in ed., qui cogitat de libertis *ἀποστασίου* reis. Mihi cogitandum esse videtur de crimine *ἀνδραποδισμοῦ,* de qua re exposui in Iahnii Annall. l. l. p. 291.

Ibid. *δίδοσθαι μέν.* Reiskii emendationem *ὧν δίδοσθαι* recepit Sauppius. Idem paullo post bene *ἔτι δ', ἐπὶ ζεύγους,* et *ἀπιέναι* pro *ἀπεῖναι* dedit, quod post Taylor. praef. ed. Lycurg. p. 126. R. iam Schoemannus d. comit. Athen. p. 249. restituerat, nuperque commendavit Blume l. l. p. 12, 62. Ibidem Baiterus verbis *ὅπως μὴ ἐλαττῶνται* ex Phot. bibl. cod. CCLXVIII. p. 497. A. Bk. bene addidit *αἱ δημοτικαί.*

Ibid. p. 842. B. *ἀπάγοντος* scribendum cum Corae et Sauppio pro *ἀπαγαγόντος.*

Ibid. p. 842. C. *δὲ* post *κλινιδίου* deleri vult Coraes.

Ibid. p. 842. D. *ἄν, εἶπεν,* praeter necessitatem, ut videtur, cum Corae in *ἀνεῖπεν* mutatum est a Sauppio, recte vero *τῶν ἱερῶν* pro *τὸ ἱερὸν* prepositum. Nec audi Coraem qui post *θεὸς* inseri vult *οὗτος.* Idem post *ἔφευγε* probante Baitero.

Ibid. p. 842. E. Coraes *αὐτοῦ τε Λυκούργου.*

Ibid. *πρότερον ἑξήκοντα προσιέντων.* Reiskii *ἑξακοσίων* recepit et etiamnunc probat Sauppius in Zeitschr.

f. d. Alt. 1836. p. 420. Verum non finis esset corrigendi, si omnes errores, qui ipsi auctori sive eius fontibus debentur e textu removere vellemus.

Ibid. scribe *αὐτὸν* cum Sauppio.

Ibid. p. 843. B. *Μελιττεὺς*. Repone cum Corae *Μελιτεὺς*. Vid. Boeckh. Corp. Inscr. n. 85, cui a Sauppio laudato loco adde Inscrr. n. 172. 185. 281.

Ibid. p. 843. C. *ἀποθανόντος δὲ* corrigit Coraes.

Ibid. *εἶπε δὲ καὶ περὶ ἱερῶν πολλάκις, γραψάμενος [δὲ] Αὐτόλυκον — ἄλλους τε πολλοὺς, [καὶ] πάντας εἷλεν.* Sic scripsi praeeunte Pinzgero, qui *δὲ* inseruit, *καὶ* delevit, itaque Coraem quoque correxisse postea intellexi. Sauppius in ed. et in Zeitschr. f. d. Alterth. 1836. p. 421. vulgatam tuetur; sed quomodo eius eadem, quae nostrae lectionis est, sententia esse possit, fateor non assequor. Deleto enim *δὲ* non possumus facere quin actiones istas, id quod Nissenio quoque accidit, ad praecedens *περὶ ἱερῶν* referamus.

Ibid. p. 843. D. scribe *ἀργυρείων* cum Baitero.

Ibid. *ὁ δὲ εὐθύνας Ἀριστογείτονα καὶ Λεωκράτην καὶ Αὐτόλυκον δειλίας.* Post *δειλίας* addito *ἐκαλεῖτο* omnia expedita putat Sauppius. Quod, ut mittam molestissimum *εὐθύνας*, non prius concedam quam exemplis comprobatum sit, recte dici *καλεῖσθαί τινά τινος*, ut sit, aliquem alicuius criminis reum facere. Part. *καὶ* ante *Λεωκράτην etiam* esse concedo.

Ibid. p. 843. E. *κατῆγον δὲ τὸ γένος ἀπὸ τούτων καὶ Ἐρεχθέως κτλ.* Pro *ἀπὸ τούτων καὶ* Reiskius coniecit *ἀπωτέρω μὲν*, Coraes *κατῆγε — τὰ μὲν ἀποτάτω*, Sauppius in ed. dedit *ἀποτάτω μὲν*, sed in adnot. p. 85. iam in eis *ἀπὸ Βούτου καὶ* latere vidit. Interea God. Hermannus in diss. d. vett. Graec. pict. pariet. p. 12. item emendavit *ἀπὸ Βούτου τοῦ*. Hoc sine dubio nomen Butae verissimum est, sed malim *καὶ* pro *τοῦ* cum Sauppio, quia Butes non erat Erechthei filius. Vid. Zeitsch. f. d. Alt. 1836. p. 418 sq.

Ibid. *ξύλιναι* reposuit Sauppius pro *ξύλινοι*, et

paullo post παραδιδοὺς ex Reiskii coniectura pro προσδιδούς.

Ibid. p. 843. F. Νεοπτόλεμον Ἀντικλέους. Kiessling fragm. Lyc. p. 11. suspicatur ἐπὶ ante Ἀντικλέους excidisse, ut sit Archon Ol. CXIII, 4. intelligendus. Hoc vero valde dubium est, quoniam et Plutarchus voc. ἄρχοντος hac in re nunquam omittit et Lycurgus num hoc tempore in vivis adhuc fuerit obscurum est.

Ibid. p. 844. A. Διοτίμῳ e coniectura dedi pro vulg. Διοτίμου. Idem iam pridem Coraes, quem sequutus est Sauppius. Auxilium vulgatae peti posse putat Frankius l. l. p. 231. ex vit. Hyperid. p. 848. E. ἔγραψε δὲ καὶ Δημοσθένους τιμάς. Sed hic quoque iam Reiskius vidit Δημοσθένει scribendum esse.

Ibid. Εὐωνυμεῖ. Kiessling. l. l. scribi voluit Εὐωνυμιεῖ, quod pagi nomen Εὐωνυμία fuisset. Verum constanter gentile inde derivatur Εὐωνυμεύς. Vid. Boeckh. Corp. Inscr. I. N. 150. 200. 293. et Add. p. 908.

Vit. Demosth. p. 845. E. μαχεσαμένοις in μαχεσομένοις recte mutavit Krueger. in annot. ad. Clinton. fast. hell. p. 306.

Ibid. p. 846. D. pro νῆσαι Coraes ad Plut. vit. Dem. c. 27. ποιῆσαι voluit, quod iam refutavit Sintenis in Zeitschr. f. d. Alterth. 1835. p. 46, ipse proponens κοσμῆσαι, quod magis certe convenit veritati; Plutarchus enim l. l. εἰωθότες γὰρ ἐν τῇ θυσίᾳ τοῦ Διὸς τοῦ σωτῆρος ἀργύριον τελεῖν τοῖς κατασκευάζουσι καὶ κοσμοῦσι τὸν βωμόν, κτλ.

Ibid. p. 847. C. ἐζήτει. Iam dudum in exemplari meo correxi ἐξῄτει, quod nunc etiam Sintenis l. l. p. 46. facere iubet. Atque hanc de ea re constantem esse formulam docent Dem. d. cor. p. 239. §. 41. Diod. Sic. XVII. 15. Arrian. I. 10, 7. Plut. vitt. Dem. c. 23. Phoc. 9. 17. et decret. p. 852. C. Quod sequitur p. 847. D. Ἀντίπατρος ἐζήτει τοὺς ῥήτορας olim retinendum esse credidi, quod dum Alexandrum poscere deceret, Antipater metu dispersos homines per satellites suos

indagaverit; sed cum in vit. Hyperid. p. 849. A. legatur ἐξαιτηθεὶς ὑπὸ Ἀντιπάτρου, hic quoque ἐξῄτει reponendum esse censeo. Cf. Anon. vit. Dem. p. 159, 4. et varr. supr. p. 99.

Vit. Hyperid. p. 848. D. scribe ἅμα Λυκούργῳ cum Blumio d. Lyc. p. 2, 9.

Ibid. p. 849. C. τοὺς δὲ οἰκείους τὰ ὀστᾶ λαβόντας θάψαι τε ἅμα τοῖς γονεῦσι. Ibi Frankius l. l. p. 231. aut τε eiiciendum esse censet, aut ponendum ante θάψαι aliquid excidisse, velut κομίσαι εἰς Ἀθήνας.

Decret. I. p. 850. E. Δημοχάρης Λάχητος Λευκονοεὺς αἰτεῖ Δημοσθένει — δωρεὰν εἰκόνα χαλκῆν ἐν ἀγορᾷ καὶ σίτησιν ἐν πρυτανείῳ καὶ προεδρίαν αὐτῷ καὶ ἐγγόνων ἀεὶ τῷ πρεσβυτάτῳ, εὐεργέτῃ καὶ συμβούλῳ γεγονότι κτλ. Quo cum loco alius coniungendus in decret. II. a pr. Λάχης αἰτεῖ δωρεὰν τὴν βουλὴν καὶ τὸν δῆμον τὸν Ἀθηναίων Δημοχάρει Λάχητος Λευκονοεῖ εἰκόνα χαλκῆν ἐν ἀγορᾷ καὶ σίτησιν ἐν πρυτανείῳ [αὐτῷ] καὶ τῶν ἐγγόνων ἀεὶ τῷ πρεσβυτάτῳ καὶ προεδρίαν ἐν πᾶσι τοῖς ἀγῶσιν, εὐεργέτῃ καὶ συμβούλῳ γεγονότι κτλ. In his quod priore loco αὐτῷ in αὑτῷ mutaverim, altero αὑτῷ, non αὐτῷ inseruerim, certatim in me involant Frankius l. l. p. 233. et Sauppius ed. p. 84, uterque eisdem usus argumentis; scilicet si αὑτῷ scribatur, sequentes dativos male ad ipsum decreti auctorem referri, tum Plutarchum ipsum ex decreto in vit. Dem. p. 847. D. haec transtulisse: ᾧ καὶ αὐτῷ πάλιν ὁ υἱὸς Λάχης Δημοχάρους Λευκονοεὺς ᾐτήσατο δωρεὰς ἐπὶ Πυθαράτου ἄρχοντος δεκάτῳ ὕστερον ἔτει τὴν τῆς εἰκόνος στάσιν ἐν ἀγορᾷ καὶ σίτησιν ἐν πρυτανείῳ αὐτῷ τε καὶ ἐγγόνων ἀεὶ τῷ πρεσβυτάτῳ καὶ προεδρίαν ἐν πᾶσι τοῖς ἀγῶσι. Verum hic locus, ut hinc incipiam, nihil probat; aut enim male eo usus est auctor, aut scribendum ita: ᾧ — δωρεὰν — ἐν ἀγορᾷ, καὶ σίτησιν ἐν πρυτανείῳ αὐτῷ τε καὶ — ἀγῶσι. Nimis enim absurdum quam ut credam, mortuo homini victum publicum in prytaneo ac primam sedem in ludis publicis decretam esse. Credidit quidem aliquando Plutarchus, cum

temporum immemor sive decreta sub finem adiecta confundens Lycurgo Ol. CXVIII, 2. i. e. septemdecim annos mortuo publicam epulationem decretam esse scriberet in vit. Lyc. p. 843. C. Sed somnianti non debebant credere censores. Alterum argumentum, quod desumptum est ex ordine verborum, non magis rem expedit. Scilicet in decretis publicis saepe numero non tam verba quam sententiam spectari debere ante me iam alii recte monuerunt. Exempla vide ap. Funkhaenel. Quaestt. Demosth. p. 69 sq. Adde ipsius decreti tertii verba p. 852. A. Qualiscunque autem sit verborum in nostris decretis ordo, quivis statim intellexit, dativos qui sequuntur inde a v. *εὐεργέτῃ* ad latorem non pertinere posse. Quid? quod ex ipsa censorum meorum opinione hi dativi non ad *αὐτῷ*, sed ad *τῷ πρεσβυτάτῳ* referendi sunt. Itaque utroque loco *αὐτῷ* scribendum esse quovis pignore contendo.

Ibid. p. 851. C. scribe cum Frankio p. 231, *τελευτήσαντι αὐτῷ* pro *τελευτήσαντος αὐτοῦ*.

Ibid. p. 851. E. *καὶ πρὸς Ἀντίπατρον πρεσβεύσαντι*. In his nihil mutandum esse vidit ingeniosissimus Droysenius meus, in comm. inscripta: *der vierjährige Krieg*, inserta in Zeitschr. f. d. Alterth. a. 1836. Febr. N. 20 sq.

Decret. III. p. 852. B. Coraes pro *διανείμας* coniicit *διοικήσας*, tum *ἑξακόσια* pro *ἐνακόσια*, deinde *πολλά τε* et *δόξας τε*, praeter necessitatem omnia. Neque necessarium est quod Sauppius p. 87 sq. vult *διακόσια* pro *ἑξακόσια*.

Ibid. *ἀργυρᾶ* scribendum cum Corae et Sauppio.

Ibid. p. 852. C. *χειροτονηθεὶς δὲ ἐπὶ τῆς τοῦ πολέμου παρασκευῆς*. Nissen. d. Lyc. p. 7, 23. *ἐπὶ τὴν — παρασκευὴν* scribi vult, uti ipse exhibeat Plut. vit. Lyc. p. 841. C. et hinc Phot. bibl. cod. CCLXVIII. p. 497. A. At accusativus licet hac de re usitatior fuerit (vid. Aesch. c. Ctes. §. 25. *οἱ ἐπὶ τὸ θεωρικὸν κεχειροτονημένοι*, d. fals. leg. §. 149. *ὅτε αὐτὸν ἐπὶ τὴν κοινὴν διοίκη-*

σιν εἵλεσθε), tamen ex Plutarchi verbis non sequitur ut deleamus hic genitivum, quem aeque recte usurpari posse puto. Nam ὁ ἐπὶ τῆς τοῦ πολέμου παρασκευῆς χειροτονηθείς is est qui constitutus est ut praesit belli apparatui, ut iam sit ἐπὶ τῆς τ. π. παρασκευῆς (cf. τοὺς ἐπὶ τῶν πραγμάτων ap. Dem. d. cor. p. 309. §. 247.).

Ibid. post τετρακοσίας insere δὲ cum Corae, Sauppio et Blumio l. l. p. 18.

Ibid. πρὸς δὲ τούτοις. Sauppius edidit πρός τε τ., sed in annot. p. 88. demum hoc tollit mendum editionis Tauchnitianae.

Ibid. ἅπασαν μὲν τὴν Ἀσίαν κατεστραμμένου, κοινῇ δὲ πᾶσι τοῖς Ἕλλησιν ἐπιτάττειν ἀξιοῦντος. „Haec offensionem habent haud mediocrem. tum enim, quum Alexander oratores sibi dedi iuberet, ne inchoatum quidem Persicum bellum. itaque suspecta sunt verba ἅπασαν — ἀξιοῦντος. nisi forte bis Lycurgum ab Alexandro expostulatum mavis.“ Blum. l. l. p. 19. Neutrum ego verum esse puto. Bis Lycurgum ab Alexandro expostulatum esse nullo testimonio confirmari potest. Item quomodo haec verba extrinsecus in decretum inferri potuerint non intelligitur. Itaque, cum Stratoclem quando Lycurgum Alexander postulasset scivisse certum sit, sequitur ut vitio aliquo haec verba laborent. Scilicet non id agit auctor decreti, ut tempora rerum quas commemorat atque ordinem accurate constituat, sed petit potius aliquid grave atque grande quod populi Atheniensium audaciae exaggerandi caussa opponat. Atque hoc quidem repperit in Alexandro. Tamen etsi, ait, tantae erat magnitudinis atque potentiae Alexander ut et Asiam totam subigeret et Graecis omnibus imperaret, tamen ausus est populus Atheniensium repellere rogantem. Quare haud scio an artic. τοῦ ante ἅπασάν exciderit.

Ibid. p. 852. D. Coraes δοὺς pro διδοὺς coniecit, et post χρόνον addi voluit ὤν. Deinde repone cum Saup-

pio et Blumio *περὶ πλείστου* ex correctione Meziriaci iam a Wyttenbachio probata, et paullo post *ἐκγόνων* pro *ἐγγόνων* cum iisdem, idemque restituendum in decr. I. p. 850. F. et II. p. 851. D. Confusio librariis debetur, quorum temporibus *ἔκγονος* et *ἔγγονος* eodem sensu promiscue in usu erat. cf. Dorvill. ad Charit. p. 227. Paullo ante *ὅπου* pro *εἴ που* voluit Coraes.

Ibid. p. 852. E. *κατὰ* quod inserui nunc supervacaneum videtur. Vid. adnotat. Sauppii.

Indices.